

ORATIONES
DUÆ
Pro solenni Instauratione Studiorum

Auctoribus
ALEXANDRO POLITO ET UBALDO MIGNONIO
Scholarum Piarum.

AD NOBILISSIMOS ET CLARISSIMOS
ACADEMICOS CRUSCANOS.

ITEM BREVE SPECIMEN EUSTATHII
Nunc primùm latinè versi ab ALEXANDRO POLITO
Cum Notis ejusd. & ANTONII M. SALVINII V.Cl.

Josephus Georgius
D. D. D.





REGIÆ CELSITUDINI
JOHANNIS
GASTONIS
Magni Principis Etruriæ.



FLORENTIÆ. M.DCC.XXIII.
Typis Josephi Manni sub Signo S. Johannis Dei.
SUPERIORUM PERMISSU.

REGIÆ CELSITUDINI SERENISSIMI JOHANNIS GASTONIS MAGNI ETRUSCORUM PRINCIPIS

Josephus Georgius

FELICITATEM.



UOD palàm, & universè litteratioribus Civitatis hominibus probari satis admodum intellexi, Celsissime Princeps, Orationum par nobile, & singulare lubens tibi, meritòque nunc dono, dicoque. Utraque oppidò auctores quemadmodum habet diversos, ita diversis etiam, disjunctisque tem-

poribus nata est, quum altera nimirum tribus supra decem jam ab hinc annis, in tuis oculis, atque ore solenniter habita prodierit etiam in publicum, tibi eidem magnificè nuncupata, hoc ipso ad te potiori quodam jure, tuaque pertinens; altera vix, credo, mense prætervecto pro rostris ex veteri consuetudine recitata, in aures, seu potius in animos litteratorum descenderit. Illud autem utrique commune est omnino, quòd ambæ, ut scimus, adultæ jam, provectæque eloquentiæ partus egregii sunt, quòd ambæ de litteris, bonisque omnibus disciplinis, quas ornant, augent, amplificant, merentur optimè, quòd ambæ denique apud nobilissimos Etrusci Sermonis Proceres Academicos Cruscanos institutæ sunt, & summà cum omnium laude sapientissimè peroratæ. Vides itaque, MAGNE PRINCEPS, hisce Orationibus Patronos alios circumspici sine piaculo minimè potuisse; quumque earum legendarum desiderio teneri se permulti apertissimè declararent, easque omnino vulgare esset operæ, nemini cuiquam magis, quàm tibi consecrari in omnium oculis debuisse. Tibi, inquam, qui is esse diceris, ut perfectorum operum, eorum præsertim, quæ tota ingenio tribuuntur, Judex æquissimus habearis, qui liberalissimis artibus, quas cum lacte suxisti, at-

que adeò perpetuò adamaſti, perfugium ipſe, ac tutelam præſentiſsimam aperis, in quà illæ ſartæ, tectæ, integræque latere poſsint, qui demum ampliſsimam Cruſcanam Academiam in tuam fidem jam pridem receptam, regali præſidio peramanter tueris, egregiè promoves, mirificè tuo nomine illuſtras. Sed tibi hæret animus, SERENISSIME PRINCEPS, mirariſque in poſtrema rejectum ſpecimen quoddam atque exemplum magni illius Euſtathii, qui commentarios in Homerum ſcripſit luculentiſsimos. Quid iſthuc conſilii rogas? Præſto eſt, quid afferam cauſsæ. In eo jam totum eſt opus, (quod felix, fauſtumque ſit) ut typis editum prodeat, & ipſum tibi, quemadmodum perhumaniter conceſsiſti, inſcribendum, cujus duntaxat munere ſingulari, eximiàque benevolentià perfectum eſt, ut excudi quum poſſit, ad manus poſterorum, æternitatemque dimanet. Viſum propterea mihi eſt eruditis hominibus pro ingrato minimè fore, ſi hic veluti Prodromus præmittatur, ut argumento ſit, quæ, & quanta ſapientiſsimus Auctor moliri audeat, qui hercle ſtudio, in quo dies, & noctes urgetur, operæ, impendio nulli propemodum parcit, ut in lucem hominum immenſus labor tuis ſub auſpiciis inauguratus feliciter proferatur. At enim quid ego potiſsimùm

mùm hæc in alieno ſata, aucta, maturata, tibi unus offeram, non eſt cuipiam magnopere divinandum, qui ſciat, per quos profecerim, per quos in liberalibus ſtudiis fuerim enutritus a puero, ut quicquid ſum, ſi quid ſaltem ſum, id ſim totum, Scholarum Piarum operà, & beneficio, cujus quidem ordinis præclaræ diſciplinæ, meam vel ab unguiculis, ut Græci ajunt, inſtitutionem ſemper attribuam neceſse ſit. Non erit tamen, ut ſpero, tibi idcirco minùs acceptum, quod meis, SERENISSIME PRINCEPS, non auctorum manibus munus porrectum vides. Illud enim perpetuò latuiſset, ſi ipſi ſuà ſponte, & voluntate, quam pudor quidam ingenuus, & timiditas frangit, id conſilii capere debuiſsent. Ut ut eſt, cupio hanc eſse immortalem obſervantiæ erga te meæ, quam equidem ſummam debeo, & palam profiteor, prærogativam. Quum enim ad aliquid pro tuà magnitudine, tuàque in me regali beneficentià, ipſe, qui adhuc in litteris ſtipendia mereor, præſtandum, ſatis cumulatè non valeam, illud tamen, quod certè fieri per me poſse intelligo, in virorum illuſtrium monumentis offerendis, lautè præſtare non prætermitto.

IMprimatur.

Horatius de Mazzeis Vic. Gen.

Imprimatur.

Magist. Fr. B. Bernardius Ord. Min. Conv. Vicar. Gener. S. Officii Florentiæ.

Philippus Bonarota Senat. R. C. Audit.



Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant,
ſecundas res ornant,
adverſis perfugium ac ſolatium præbent,
delectant domi, non impediunt foris,
pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Cic. pro Archià.



ORATIO I.

AUCTORE ALEXANDRO POLITO
SCHOLAR. PIAR.



Serenissimo Principi
JOHANNI GASTONI
AB ETRURIA
PROTECTORI,

Summis Etruscæ linguæ Cultoribus, Academicis Cruscanis, Viris & generis nobilitate, & doctrinæ famà, Clarissimis,

ALEXANDER POLITUS SCHOL. PIAR.






UANTUM Tibi, pro vetustà Medicea Gentis consuetudine; Serenissime Princeps; quantùm vobis, Archiconsul Clarissime, nobilissimi Academici, bonæ omnes artes debeant, non levi est argumento, & susceptum ab uno Excellentissimæ Academiæ summum patrocinium, & celeberrimum aliorum in expoliendo Etrusco sermone, recensendisque, qui, cum aliquà Etruscæ linguæ laude, scripserunt, auctoribus, institutum. Quum enim nostra lingua, non

verborum solùm elegantià ; sed & rerum scientià, locupletandæ doctissimi viri a pluribus seculis insudaverint, ut nulla omnino esset liberalium disciplinarum, quam Florentinæ eloquentiæ luminibus non illustrarent : nemo non videt, quàm benè de ingenuis ipsis facultatibus mereamini, quorum immortalia in scriptores Etruscamque linguam merita omnes fatentur. Nec verò tàm leve est negotium, quàm inepti aliqui putant, quod vobis, nobilissimi viri, jure commissum est, summa Etrusci sermonis censura & bonorum auctorum emendatio : sed, quemadmodum ad rerum ipsarum intelligentiam plurimùm confert ; ita & viros acerrimo judicio præditos omnique eruditionis genere instructissimos postulat. Quis enim ex nostris Orator ornatè dicere potuisset, nisi Etruscè loqueretur ? quis Poeta carmen modulari, nisi verborum leges servaret ? quis Historiarum conditor utili gestarum rerum narratione fructum legentibus aliquem afferre, si barbaras discrepantesque a sensu voces usurparet ? aut, qua ratione ceteri, qui alias artes pertractarunt, Geometræ, Medici, Jurisconsulti, Philosophi, Theologi, quæstiones dissolvere, dubia expedire, pulcherrimas explicare sententias, eaque a nobis demum percipi, potuissent, nisi & congruentem ipsi orationem adhiberent, & incorrupti a nobis legerentur ? Nam vel ex unius syllabæ depravatione, quales quantæque tenebræ genuinis ipsis germanisque auctorum sensibus offundantur, & ex vero in falsum detorqueantur, probè norunt, qui politiores Litteras non leviter attigerunt ; & docuit orta olim inter Bartolum & Baldum contentio, quæ non ante dirimi potuit, quàm optimum Pandectarum exemplar consuleretur. Quis verò auctores ad pristinum loquendi nitorem restituat, nisi eorum mentem agnoverit ? aut quis agnoscat, nisi eam, quam ipsi habuerunt, scientiam

entiam

entiam fuerit assecutus? Unde, quanta sit Criticæ artis amplitudo & dignitas, ex eo constat, quòd nemo certum de omnibus rebus omniumque artium scriptoribus judicium ferre possit, nisi omnem omnium facultatum notitiam comprehenderit. Ἕκαστος δὲ, *ut summus ille Philosophus ait l. 1. De Moribus ad Nicomachum c. 1.* κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. *Verum nunquam sese magis mihi exeruisse atque in regnum vindicasse suum Critice videtur, artium præstantissima, quàm dum oculis ultrò meis, summi Etruscæ linguæ moderatores & arbitri, vestræ occurrunt in Etruscos auctores elucubrationes, quæ Europæ adeò probantur universæ, ut vos Italorum omnium doctissimos nationes cunctæ prædicent, neque aliâ, nisi vestrâ, linguâ Sapientiam ipsam locuturam esse arbitrentur, si loqui possit: atque inde satis intelligo, vestrum esse neminem, cui, præter summam generis claritatem, maximum non accedat ab omni disciplinarum omnium doctrinâ ornamentum. Qua de caussâ meam de Eloquentiâ omnibusque liberalibus artibus brevi tempore a quoquam comparandis Orationem vobis potissimùm consecrandam esse duxi: ut, si id minùs, quod voluerim, probavero; vos certè ipsos, quorum operâ elegantiùs puriùsque loqui bonæ Artes didicerunt, veluti absolutissima quædam doctrinarum omnium exempla, Litterarum studiosis adolescentibus proponam. Neque minùs apta, quàm ut vestro inscribatur nomine, existimari hæc Oratio debet, quòd, quùm Latina ea sit, minimè ad vestrum Etruscæ, non Latinæ, linguæ illustrandæ consilium pertinere videatur. Quis est enim, aut quotusquisque, qui ignoret, Latini sermonis, velut pulcherrimæ cujusdam matris, pulchriorem sanè omnibus aliis filiam esse, qua modò utimur, vernaculam linguam; nec posse aliquandò fieri, ut Etruscè quis doctus evadat, nisi exactum simul accuratamque co-*

niungat Latinæ linguæ cognitionem? Si ergo Latinus sermo a vestro instituto non abhorret, & doctrinæ vestræ maximè convenit habita de doctrinis cunctis Oratio: tui quoque patrocinii erit, Serenissime Princeps, vestræque humanitatis, præstantissimi florentis adeò Academiæ Cultores, quod vobis offero, benigno gratoque animo excipere, immortale observantiæ erga vos meæ monumentum.



Habita ea est oratio Florentiæ in Sanctæ Mariæ ad Riccios, pridie Nonas Decembris Anno MDCCIX. coram Serenissimo Principe Johanne Gastone ab Etruria, in magnà Excellentissimæ Academiæ frequentià, Archiconsule, Clarissimo Viro, Ferdinando Bartholomæo: Consiliariis, Friderico Riccio, & Thomà Bonaventurio; Censoribus Antonio Maria Salvinio, & Francisco Maria Salvatorio, Viris Clarissimis.

O R A T I O:

BREVIOREM LONGE ESSE OPTIMARUM OMNIUM ARTIUM, QUAM HUMANÆ VITÆ, CURSUM.



UUM ab Eloquentiæ laudibus ſtudia vertentis anni eſſem feliciter auſpicaturus, ut, ſiquid dicendo poſſem, ad eam artem, cujus incredibilis vis eſt ad animos hominum permovendos, optimos adoleſcentes excitarem, Sereniſsime Princeps, ſummi Etruſcæ linguæ moderatores, Archiconſul Clariſsime, nobiliſsimi Academici; celebris illa apud veteres Oratores animum quoque inceſſit meum dubitatio, cur, quum in aliis omnibus artibus & diſciplinis permulti magno ingenio viri excelluerint, perfecto tamen Oratore nihil in hominum genere rarius inveniri poſſe videatur. Cogitanti autem, undenam uberrima dicendi facultas tantà Oratorum inopià laboraret, ubi ampliſſima ad eloquentiam præmia alliciebant; illud unum occurrit, quod & viſum eſt Romanæ eloquentiæ principi Marco Tullio, rei ſcilicet quædam incredibilis magnitudo & difficultas. Neque enim ab elegantià doctrinæ rerumque majorum ſcientià ſegreganda eſt eloquentia, ac tantùm in judicia & conciones detrudenda,

ſicut

ſicut plerique e Græcis voluerunt: ſed, quod, poſt Mneſarchum & Carneadem, noſtris placuit hominibus, latiùs longè patet regina rerum oratio, quàm ut anguſtis Fori terminis contineatur; &, quemadmodum nihil eſt, quod in hominum diſceptationem cadere non poſſit, ita ambitu omnia ſuo comprehendit. Quare eum demum proponite vobis animo Oratorem, qui, ut quacunque de re copiosè ornatèque dicat, omnem omnium rerum atque artium ingenuarum ſcientiam fuerit aſſecutus. Quid verò magis arduum, atque in hac noſtrà vità varietateque occupationum difficile, quàm ab uno homine ſciri omnia, quæ orationis lumine illuſtrentur? eæ ſiquidem ſunt, quibus humanæ vitæ curſus coarctatur, anguſtiæ, ut non, niſi breviſſimus, videri poſſit, ſi, non dico, ad omnium, ſed vel unius etiam artis, magnitudinem conferatur. ut mirandum minimè ſit, ſi tam pauci ad veram Eloquentię laudem pervenerint, quum vix aliquis univerſum illum diſciplinarum orbem, quem Gręci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, percurrere unquam potuerit. Ego verò, Auditores, qui, ingeniorum noſtrorum viribus benè accuratèque perpenſis, nihil humile, nihil abjectum, nihil egregiis maximæque ſpei adoleſcentibus indignum meditor; ſed omnibus iis, qui ad Eloquentiam contendunt, abſolutam omni ex parte ſummi Oratoris formam propoſitam volo, quam ęmulentur: communem hanc de longo artis; brevi vitæ curſu, humani generis querelam ex hominum mentibus exturbare, ſi fieri poteſt, aggredior; atque ita maximum, quo a Sapientiæ ſtudio adoleſcentes deterrentur, impedimentum removere. Demonſtrabo itaque, quàm potero, breviſſimè: brevio-

rem

rem longè eſſe earum omnium artium, quæ ſunt libero homine dignæ, quàm humanæ vitæ, curſum. argumento ſanè novo & difficili, ſed quod neque a meo docendarum publicè divinarum humanarumque artium inſtituto, neque ab hujus loci amplitudine abhorreat; magnoque, ut puto, futurum ſit juventuti ad Sapientiam, ſine qua de perfectà Eloquentià deſperandum nobis ſit, incitamento. Atque utinam oratione meà id aſſequar, ut, hoc auſpice ſtudiorum die, adoleſcentibus; quos Sapientiæ pulchritudine allectos video huc frequentes conveniſſe, quædam veluti calcaria ad reliquum curſum admoveantur!

Verùm, ipſo ſtatim orationis limine, quis mihi veſtrum, Auditores, non opponat ſummam ſummi viri auctoritatem, cui niſi primùm occurram, valdè verear, ne fruſtrà ſim hoc in argumento laboraturus. Quis enim ab Hippocrate diſſentiat, maximo illo totius antiquitatis ac propemodùm divino, ingenio? cujus tanta tamque admirabilis fuit in explorandà rerum veritate ſolertia, ut, quò ille non pervenerit, nemo ſperet, ſe unquam eſſe perventurum. Immo verò quis principem ſalutaris adeò humano generi artis auctorem non omni veneratione proſequatur, &, quidquid ille ſenſerit, non niſi veriſſimum judicet, communique omnium conſenſione comprobatum? Atque is tamen, cujus ſapientiam, veluti e cælo delapſam, admirantur omnes, quum breviſſimis acutiſſimiſque ſententiis, quas græcè aphoriſmos dicimus, quaſi Medicinæ oracula eſſet ſimul complexurus; ita exorſus eſt, ut vitam humanam brevitatis, longitudinis artem, incuſaverit. Ὁ βίος βραχύς· ἡ δὲ τέχνη μακρή. Sed iſtud de trivio argumentum,

tum,

tum, quo a tanto nomine queri solet torpori ignaviæque nostræ patrocinium, neque orationis sese iam explicantis cursum abrumpet, neque a Sapientię vos studio retardabit, optimi adolescentes, si paullisper consideretis, quod mirum dictu videbitur, sed tamen verum est; caussam inde meam confirmari, unde penitus infringi evertique potuisset. Nam cum oculos ad illum, Medicorum veluti deum, converto Hippocratem, eximiamque ejus omnibus in artibus eruditionem perpendo accuratiùs; satis jam video, nullum aliud ex totà antiquitate opportunius atque ad rem nostram accommodatius exemplum afferri potuisse, quod vobis ad omnem doctrinam proponeretur. Fuit enim, siquis alius, non in arte solùm Medicà; sed in toto etiam disciplinarum orbe, exercitatissimus; eàque verè dignus laude, qua nescio an maior ulli unquam hominum contigit, quòd & alios fallere, & ab aliis ipse falli, nesciverit. Quapropter, qui volunt, laboriosi scilicet in otio homines, longius multò esse artium liberalium curriculum, quàm ut toto vitæ tempore perdiscantur, & luculento admodum Hippocratis exemplò, qui eas omnes caluit quàm peritissimè, refutantur, &, quęnam hominis mens fuerit atque consilium, minimè assequuntur. Nisi quis forsan adeò deliret, ut existimet, eà de caussà, longam artem, brevem autem vitam, dictam esse ab Hippocrate, quòd hac potissimùm ratione vellet a Medicinę studio alios avertere, qua ipse maximè eniteret. Sed, o prava hominum minimè ingenuorum, qui de ingenuo viro tam iniquè senserunt, judicia! quos etiam gravissimè olim reprehendit optimus principis Medici interpres, Medicorum

corum & ipse clarissimus, Claudius Galenus. Quid enim a rectà ratione magis alienum, quàm, ad humani generis bonum, Medicas scribere commentationes, quibus nihil utilius aut esse aut excogitari potest, simulque ab arte universà, cujus doctrinà te posterorum saluti consulere velle profitearis, legentium animos avocare? Aliud omnino voluit Medicinę parens, Hippocrates, aliud in votis, aliud in mente habuit, dum artis magnitudinem eò protrahendam putavit, ut longissima sit, si unius eam hominis vità metiamur. Non ad fovendum ignavorum hominum otium, sed ad solertium diligentiam excitandam; non ad excusandum torporem, sed ad laborem promovendum; non ad deterrendos abalienandosque a sapientià animos, sed ad exacuendum, propositá artis difficultate, ingenium, eam retulit de vitæ brevitate sententiam: ut nempe, quò vita brevior esset, ars autem longior, eò impensiori curà majorique animi contentione opus sibi esse intelligerent optimarum artium studiosi, ut brevi eas tempore adipiscerentur. Quanquam autem hujusmodi explicationem, veram illam quidem; sed, veluti Hippocratis sensui non satis aptam, minùs approbet Galenus: attamen eum ipsum locum ita interpretatur, ut doceat, breve tempus ad artem perdiscendam sufficere, si recta studiorum via constansque labor adhibeatur. non posse quidem ab uno eodemque homine, quantùm vultis, diligenti & studioso, artem aliquam & inchoari & ad complementum usque perduci. quod ad inventionem spectat: sed, postquam reperta fuerit, pluresque multorum annorum decursu ad eam constituendam perficiendamque allaboraverint; nihil jam esse, cur bre-

viori temporis ſpatio quamcunque artem quiſque non comprehendat: eàque de re perbreves conſcribi commentationes oportere, quibus omnia, quæ magni quique viri multo tempore magnoque labore obſervarunt, incredibili quodam & temporis & laboris compendio, ſub unum veluti adſpectum ſubjiciantur. Sed cur in unà tamdiu arte immoramur? quaſi non in toto diſciplinarum orbe noſtra verſetur oratio. Age verò, quantus qualiſque eſt quàmque hominibus omnibus inditus a naturà, cognitionis amor & veritatis! quàm numquam otiatur in nobis hæc veri inveniendi cupiditas! quàm rerum novitate pueri capimur & detinemur! quanto diſcendi ardore impellimur ad ſtudia adoleſcentes! quàm magnam vitæ noſtræ partem viri, ſępe etiam cum maximo rei familiaris detrimento, Litteris rerumque cognitioni impendimus! quo ſtudio, etiam qui a rebus gerendis longè abſumus, ſenes res geſtas legimus & audimus; neque tantùm hiſtoriis, verùm etiam fabellis, recreamur! quàm denique in omni ætate, ut aliis vacuus curis animus ſecum eſſe permittatur, non quieſcit tamen hoc ſciendi omnia deſiderium! Solonem ferunt, quem in Sapientum numero Græcia habuit, quum eſſet ex hac vità diſceſſurus, aſſidenteſque lectulo amicos, de re quapiam demiſsè differentes audiſſet, rogaſſe, ut vocem attollerent: exitum quippe vitæ jucundiorem ſibi fore, ſi aliquid diſcens moreretur. Tanta humanum genus diſcendi cupiditas tenet; tantaque inde eſt, rebus cognitis, animi noſtri oblectatio. id enim, quo uno beſtiis maximè pręſtamus, & homines ſumus, mentem ſcilicet noſtram, rerum ſcientia perficit, honeſtiſsimàque complet voluptate. An ergo

existimabimus, frustra hunc esse in nobis cognoscendi veri ardorem, eàque in hominum genus iniquitate fuisse naturam, ut, quum tam vehementi perpetuoque impetu nos ad omnium liberalium doctrinarum studia rapiat non repugnantes, adjumenta tamen denegaverit, quibus earundem artium scientiam assequeremur? An totum disciplinarum orbem immensis curis vigiliisque percurrit Galenus, nihil ut in iis proficeret? An Cleanthes Assius, qui noctem hauriendis aquis, diem studiis liberalibus dedisse fertur, nullum alium retulit laboris tanti fructum, nisi ut animum in artibus comparandis despondere? An inane in Euclide Megarico censebimus studium sapientiæ adeò eximium ac singulare, ut, veste muliebri indutus, noctu ad Socratem audiendum venire Athenas non dubitaret, quò nemini uni ex Megarensibus, sub pœnà capitis, pedem licebat inferre? An, ut innumerabiles alios ex totà antiquitate viros doctissimos omittam, quibus totà vità nihil antiquius fuit, quàm pulcherrimo instrui optimarum omnium facultatum apparatu; frustra Pythagoram, frustra Democritum, frustra Platonem, quales, Deus bone, viros! dicemus, patriam, ubi summo honore florebant, reliquisse, ultimasque peragrasse terras, ut, periculosissimà per barbaras incultasque nationes peregrinatione, nullum non doctrinarum genus a sapientissimis omnium populorum viris discere vellent, scire autem non possent? O miseram humani generis conditionem! o pœnitenda hominum vota, si Sapientię, qua bonarum omnium artium continetur cognitio, pulchritudinem ardentissimè concupiscant, illam quærant, meditentur, ad illam maximo cona-

tu anhelent; neque unquam tamen complectantur! Sin & nihil frustra molitur optima parens natura, & nulli deest ex reliquis animantibus, ut fines adipiscantur suos; quantò majori curà prospexisse homini reputanda est, animantium ceterorum principi, quem unum ratione uti voluit, omniumque fecit capacem disciplinarum? ut nempe, quemadmodum summam nobis ingeneravit percipiendę veritatis cupiditatem, ita & copiosissimè subministret, unde omnium bonarum artium, quanta homini satis sit, scientiam obtineamus! At falsà plerique existimatione decipiuntur, quibus quum omnia ad omnem doctrinarum elegantiam affatim a naturà suppetant adjumenta; otio suo & ingenio abutuntur, maluntque ingrati naturam reprehendere, quàm suam ipsorum segnitiem emendare. Quę autem quantaque sit humani ingenii facultas, quid in universo artium omnium studio possit, si annitatur; clarissimè ii docent, quos summis laudibus celebrandos duximus, sapientissimi antiquorum viri: quos omni disciplinarum genere ornatos instructosque maximè fuisse accepimus. His verò dum Democritum accenseo, cui atomi, nostris his temporibus, magnam in Peripatetico Regno conflarunt invidiam; nolim, cogitetis, Auditores, aliquem de grege Philosophum, qui cum majorum gentium Philosophis non sit conferendus: sed tantà virum eruditione, ut Hippocrati ipsi Coo maximæ fuerit admirationi; & quum plurimos, tum discendi ardore, tum rerum omnium doctrinà, vicerit, nemini secundus videatur. Etenim, præ sapientiæ, quo incendebatur, studio amplissimas opes humanaque omnia contempsit; peregrinatusque est in Persidem ad Magos & Chaldæos;

in

in Ægyptum ad Mathematicos; in Æthiopiam atque Indiam ad Gymnosophistas; in omni autem Sapientiæ parte adeò profecit, ut quinque certaminum victori non absimilis diceretur, quòd τὰ φυσικὰ, τὰ ἠθικὰ, τὰ μαθηματικὰ, τὺς ἐγκυκλίυς λόγους ϗ περὶ τέχνην πᾶσαν ἐμπειρίαν, perfectissimè conjunxisset. Jam verò si artes ipsas propiùs intueamur, &, quarum amore tantopere exardemus, proponamus eas ob oculos; mirum est, Auditores, quanta sit earundem connexio, quantus ordo, quàmque uno societatis vinculo coalescant. Non dicam equidem, quod admirabiliter potiùs, quàm verè, dicere visus est Mnesarchus, optimas facultates eodem amicitiæ fœdere conjunctas inter se esse, & colligatas, atque nectantur copulenturque ex virtutes, quibus humani mores perficiuntur; ut eum, qui unà præstat facultate, locupletissimus ceterarum omnium doctrinarum comitatus sequatur. quanquam homo Stoicus nil voluerit aliud, quàm, qui esset eloquens, omnes eum virtutes habere, quòd benè dicendi scientiam in virtutum numero collocabat. Sed illud dicam, quod a Platone assertum in Epinomide, faciliorem longè contractioremque, quàm vulgus existimet, reddit omnium disciplinarum cursum, miro quodam inter se consensu bonas cunctas artes sapientisque viri proprias concordare; & hanc liberalium doctrinarum in unum veluti conspirationem facillimè intellectum iri, si quis vim rationis ejus, unde omnia alia pendent & ordine quodam cognoscuntur, antea exploraverit. Quòd si altiora hæc esse videntur, quàm ut infirmo adhuc accommodata sint captui adolescentium [quanquam, ubi de toto doctrinarum orbe loquimur, nihil, nisi ex-

celsum

celſum atque a ſenſibus noſtris remotiſsimum, ſapiat, neceſſe eſt, oratio] illud tamen conſtat, non tantam, quantam aliqui volunt, inter diſciplinas diverſitatem inveniri, quæ omnes ad veritatem unam referuntur. Quid enim tandem ſpectant illæ ipſæ artes, quæ aliis omnibus majoribus artibus famulantur, & benè ornatèque loqui docent, numeriſque orationem conſtringere, ut majori, quàm fieri poſsit, concinnitate lenocinioque verborum, animi noſtri ſenſa expromamus? veritatem. Quid profitetur benè differendi facultas, quam, verbo græco, Διαλεκτικὴν appellamus? veritatem. Quid ſpeculantur unquam Mathematicæ diſciplinæ, quarum vaſtiſsimo gyro numeri, ſonorum vocumque modulatio; operum, quæ vario hominum uſui, tum delectationis tum neceſsitatis cauſsà, deſerviunt; exacta ratio; cęli, terræ Mundique totius dimenſio, continentur? veritatem. Quid Phyſice in ampliſsimo naturæ theatro, ubi infinita rerum varietas, admirabili diſtincta ordine, pulcherrimum ſui ſpectaculum præbet, contemplatur? veritatem. Eæ quoque, quæ in agendo verſantur, facultates, quò primùm, veluti ad certiſsimam quamdam tutiſsimamque actionis cujuſcunque regulam, reſpiciunt, niſi ad veritatem? Veritatem Ethice, ut animum curet; veritatem Medicina, ut corpori ſalubritatem afferat; veritatem Juriſprudentia, ut æqua civium jura conſervet; veritatem Politice, ut publico civitatis bono conſulat; veritatem Oeconomice, ut rem privatam benè adminiſtret; veritatem artes omnes, ut ſua ritè expleant munera, inquirunt. Denique ipſum veritatis fontem ſummumque rerum principium & formas ab omni concretione materiæ quàm longiſsimè alie-

alienas, Theologia, conſcia divinarum rerum ſcientia, intuetur. Quum ergo una veritas in omni doctrinarum ſtudio maximè quæratur, eamque humana mens tantà ſibi cognatione ac neceſsitudine devinctam teneat & copulatam, ut nihil, niſi verum, percipere poſsit, atque in veri perſpicientià beatitudinem aſsequatur ſuam; quænam illa eſt vana deſidiæque plena ignavorum atque otio marceſcentium hominum expoſtulatio, quòd tantà diſciplinarum in diverſa tendentium magnitudine ſimul ac varietate ingenium confundatur humanum ac propemodum obruatur? Non ita ſanè exiſtimavit, ſummus dicendi magiſter Romanæque juventutis optimus inſtitutor, Fabius Quintilianus, qui, quum Oratorem, quem inſtituendum ſibi ſumpſerat, nullius ornamenti expertem eſſe oportere oſtendiſſet; primam quoque ætatem pluribus ſimul artibus imbuendam exornandamque eſſe, affirmavit. Atque utinam tanti apud nos eſſet Quintiliani auctoritas, ut pueri noſtri ea veluti temporum ſubſidia, quæ a Grammatices ſtudio ſuperſunt, erudito illi Geometriæ pulveri aliiſque hujuſmodi amœnioribus ſtudiis, donare docerentur! O longam illam ad diſcendum ætatem, ſi non teſseris, non nugis, non otioſis ſermonibus, non denique ſomno, inutiliter conteri, aut potiùs prodigi, ſineretur! eſt enim maximè docilis & laboris patientiſsima, tam facilique fruitur ingenio atque in omnem partem veloci, ut periculum nullum ſit, ne ſtudiorum onere, pluſquam opus ſit, fatigetur; ſed varietate ipsà reficiatur potiùs, minùſque ſentiat, quàm ſi uno in labore perſeveraret, difficultatis. Quoniam verò ignavia noſtra facit, ut variis ſimul occupatum Litterarum ſtudiis ingenium diſtra-

distrahi aut obtundi, non perfici aut excoli, videatur; & revera humanæ mentis facultas, quantacunque illa sit, finita est suisque terminis circumscripta: non id certè oneris adolescentibus nostris imponam, cui sint ipsi impares ferendo, ut pluribus, & quàm diversissimis disciplinis eodem simul tempore sufficiant. Satis erit, mihi credite, optimi adolescentes, non confusè aut tumultuarià quadam operà, vestra pertractare studia; sed eum, quem incepistis, cursum doctrinarum certà ratione moderari, ut a facilioribus ad difficiliora progressi, unàque quadam & continuà serie unam post aliam adepti facultatem, elegantissimum illum orbem conficiatis. Quemadmodum enim, sicui uno simul intuitu totius Mundi vastissima compages spectanda exhiberetur: obrueretur planè innumerà rerum omnium multitudine; neque, quanta quàmque admirabilis sit & divina, Universi pulchritudo, discerneret; si autem ad singulas partes, quibus Mundi machina coalescit, oculos cogitationemque converteret, & veluti distribueret, simulque summum illum, quo suis quæque aptantur locis, ordinem distinctè consideraret, ei quàm facillimè tota Universitas innotesceret atque admiranda rerum omnium consensio: ita sanè confusus ille atque indigestus disciplinarum omnium adspectus, qui primò occurrere tyronibus solet, suà vos magnitudine deterret ac ferè opprimit adhuc in limine constitutos. Sed, si diligentiæ accedat ordo, & per partes discatur, quod cognosci simul totum non potest: brevi vos intellecturos polliceor, atque experturos, quantum artium magnitudines rectà studiorum partitione minuantur. Hìc ego quid prædicem, quàm non adeptu sit longa Sapientia? quantum

tum ad ſtudiorum omnium metam vobis ſuppeditet temporis? quanta ſit ingeniorum veſtrorum celeritas atque acumen? Quæ omnia ſi amplificare velim dicendo, & per ſe magna, verborum exaggeratione majora reddere; latiſſimus quidem ſeſe mihi obtulerit campus, in quo expatietur oratio: ſed meritò reprehendar, quòd, dum brevem artium curſum adoleſcentibus propono, ut eum alacriter percurrant; tantà orationis longitudine, artis ipſe meæ oblitus, peccaverim. Attamen danda hæc eſt diſcentium imbecillitati venia, ut ſingula, quę in qualicunque illo liberalium artium itinere properantes non parùm remorantur, quàm breviſsimè proſequamur. Nam, quod ad exactam rerum omnium cognitionem attinet, ea pleroſque ſummam in deſperationem adduxit cogitatio, quòd & Plato teſtatur in Amatoribus, & quotidiana docet omnium experientia, ſemper aliquid in vità diſci; ſemperque aliquid eſſe, quod, quamdiu vivimus, diſcamus. Neque ego, Auditores, tantum ingenio detulerim humano, ut exiſtimem fieri aliquando poſse, ut nihil omnino ſit, quod homo unus in qualibet arte non comprehendat. Quàm multa enim vel in ipsà Grammaticà [ut certius inde de majoribus, quarum doctrinam profiteor, facultatibus judicium fiat] non ſolùm me latent, qui nunquam ab amœnioribus illis Litteris abhorrui; ſed viros longè doctiſsimos atque in toto Criticę eruditionis genere exercitatiſsimos; & de quibus ſi ſuperbi illi Palęmones interrogentur, erubeſcere cogantur. Hæc autem quanquam ita vera ſint atque apud omnes explorata, ut hominem Theologum minimè pudeat, in pluribus, quæ ad rem Grammaticam ſpectant, inſcitiam fateri ſuam; eò

ne tamen deprimenda vobis veſtra erunt ingenia, adoleſcentes, ut exiſtimetis, aut pluribus diſcendis plures eſse vitas dedicandas, aut unam duntaxat artem pertractandam ſemper eſse, atque in uno vel leviori ſtudio, cum deſidioſà quadam voluptate, ita conſeneſcendum, ut diſcentes vita deficiat? ipſa enim unius ejuſdemque artis perpetua tractatio ſemper aliquid gignet, quod inveſtigetis. Sin vos unius artis delectatio non tenet, & aliæ ſunt, non, opinor, indignæ, quæ a vobis percipiantur; nequid ego dicam, vos ipſi perſpicitis, quis vobis modus ſit in toto ſtudiorum curſu adhibendus, ut non uſque ad ſenectutem in re aliquà ſuperſtitioſè detineamini; ſed in qualibet arte non diutiùs immoremini, quàm ſobria rei cujuſque cognitio poſtulare videatur. Quis enim cum in aliis omnibus rebus, tum maximè in ſtudiis, modum non requirat, ubi, non ſolùm, abſque ullo doctrinæ detrimento, verùm & magnà aliquando utilitate, plurima ignorantur, quorum cognitione nihilo melior aut doctior evadas? Quare is mihi verè ſapiens, non, qui minuta quæque, immenſo quidem ſtudio, ſed, majori curioſitate, quàm fructu, perſcrutetur; ſed, qui eà contentus ſit, quæ libero homini ſatis eſt, ſcientià: non, qui in puerilibus altercationum nugis, & ceratinis aut crocodilinis quæſtionibus ſemper occupetur; ſed, qui breviori, quàm fieri poſsit, compendio, ad unam veritatem collineet: non, qui fabellis conquirendis, Tiberii more, ætatem ſuam conterat; ſed, qui utiliſsima conſectetur: non, qui novus helluo librorum iis omnibus legendis auctoribus, ad quos, veluti quoſdam ſcopulos, tempeſtate delatus, alliſerit, dies noctesque inſumat; ſed

qui

qui optimos atque in qualibet disciplinà præstantissimos auctores vel suo vel alieno judicio seligat, recolat, attentè meditetur. Ille itaque, qui mihi sit in omni doctrinarum genere versatissimus, non inutili rerum multitudine mentem obruet, neque librorum farragine, quam minùs digerat, se ingurgitabit; sed exactà imprimis solidàque trium principum linguarum, Hebrææ, Græcæ, Latinæ, notitià, ad omnem tum divinam tum humanam eruditionem, imbuetur: in parandà eloquentià Demosthenem atque Isocratem inter Græcos; Marcum Tullium & Fabium Quintilianum inter Latinos, auctores habebit: in Poeticà, pro vario carminum genere, illos Poetarum principes, Homerum & Virgilium; Pindarum & Horatium; Euripidem, Sophoclem & Senecam; Callimachum, & tres illos Amorum Poetas, Tibullum, Propertium, Catullum; Aristophanem & cum Plauto Terentium leget: in Philosophià totum Platonem atque Aristotelem tenebit: in Mathematicis Euclidem, Ptolemæum, Apollonium atque Archimedem, comprehendet: in Jurisprudentià, quidquid Civilibus Pontificiisque Legibus continetur, diligentissimè discet: in Medicinà Hippocratem & Galenum assiduè pervolvet, atque ex nostris, Cornelium Celsum, &, rerum arcanarum sagacissimum exploratorem, Cajum Plinium: in Theologià denique, præter accuratam Divinorum Librorum lectionem, in animo penitus suo Patrum eruditissimos imprimet, Origenem, Hieronymum, Augustinum & Thomam illum Aquinatem, qui, miro quodam ordine, totius sacræ Doctrinæ summam omniumque Patrum sententias, complexus est atque illustravit. Quibus omnibus addet Græcæ Ro-

manæque historiæ, ex Herodoto potissimùm & Thucydide, &, qui eis a Latinis opponuntur, Livio & Sallustio; atque ex aliis melioribus auctoribus, antiquitatis totius cognitionem. Neque etiam recentiores negliget, qui, post restitutas a barbarie Litteras, & ingenii præstantià & summa rerum omnium eruditione, ad priscorum prope laudes accesserunt. Quanquam eò libentiùs veteres, quàm recentes, auctores annumeraverim, quòd a veteribus, veluti a fontibus rivi, omnem omnium doctrinarum copiam acceperimus; gratique animi sit ac maximè ingenui, de iis benè mereri velle, qui primi omnium de humano genere optimè meruerunt. Sed tamen non se capi sinet incautus aut decipi a magnificis phaleratisque inscriptionibus, quibus plerique ætate nostrà vani scriptores sordidas suas merces, ut fucum ementibus faciant, imperito vulgo ostentant; libros, inquam, tantà horridos barbarie, tam ridiculos & plenos ineptiarum, ut, postquam legeris, tam malè te operam collocasse pœniteat. Nam quò quisque doctior sapientiorque auctor; eò quoque solet esse modestior, maximèque simplices & perspicuos libris suis titulos præfigere, ut veterum præsertim exempla testantur. Hæc omnia ille præstabit, vir sapiens, quem oratione jamdudum efformo: superflua omnia atque inutilia resecabit studia; nunquam otiosum se esse patietur: sed mercatores, avidissimum hominum genus, imitabitur, ut, sicut ii, opum parandarum caussà, non itinerum difficultate neque navigationis periculo impediuntur, quominùs domum, uxores, liberos, relinquant, vitamque mari suam committant ac prædonibus; ita nullum pro adipiscendà sapientià laborem ipse refugiat aut re-

reformidet. Quantum, putatis, temporis facturus est in longissimo illo disciplinarum omnium cursu compendium? quàm citò ad Sapientiam perventurus? Latissimè ætas nostra patet, Auditores, abundèque ad omnem sufficit scientiam: sed nos ipsi imprudenter contrahimus, dum, ubi minùs oportebat, studia nostra occupamus; atque, ut uno omnia verbo dicam cum Poetà,

Exigua pars est vitæ, quam nos vivimus.

dolemusque postea, deesse nobis tempus, quum nos tempori defuerimus. An non longum sane tempus iis supererat, doctis alioqui hominibus & eruditis, qui præclara sua ingenia argumentis adeò ignobilibus depresserunt, ut in turpium vituperabiliumque rerum commendatione sibi elaborandum esse existimarent? Nam infame illud crudelitatis monstrum, Nero, laudatorem habuit Hieronymum Cardanum, injustitia Carneadem, simius Canterum, Lucianum musca, mus Polycratem. Nec febri, cœcitati, insaniæ, bello, qui celebrarent, defuerunt. An non longissimam ad meliora studia Græcorum illorum vitam crederes, quibus etiam vacabat, curiosè inquirere, quot remiges Ulyssem comitarentur, quum non expressisset Homerus; vel, prior ne scripta esset Ilias an Odyssea? O magnos homines in nihil agendo occupatos! qui tamen perditi temporis culpam, aut in naturæ nostræ infirmitatem, aut in circumstantia undique negotia, transferre consueverunt. Tu verò, delicatule adolescens, totum, quod Litterarum studiis impendere debueras, tempus, spectaculis tribuis, intempestivis conviviis, aleæ, pilæ, aucupio, venationi aliisque hujusmodi voluptatibus: quidquid laboriosam occupationem affert, vehemen-



nementer refugis, uno otio delectaris, atque ita in summo ingenii animique torpore vivis, ut dormienti propior videaris, quàm vigilanti: deinde orationi meæ obstrepere audes, quasi ad integrum artium omnium absolvendum cursum vita ipsa tua non sufficiat, quæ si sufficeret homini in aliis omnibus, preterquam in Litterarum studiis, semper occupato, jure miraremur. Tantùm verò abest, ut humanæ vitæ spatium cunctarum artium magnitudine superetur, ut potiùs totum illum artium cursum intra breviores adolescentiæ primæque duntaxat juventutis angustias comprehendam. Quod enim tempus studiis omnibus idoneum magis atque aptum esse potest, quàm primus ille adolescentis flos ætatis, qua maximè viget ingenium, doctrinarumque semina facillimè in animo imprimuntur, impressa altissimè defiguntur, defixa tenacissimè inhærent, & demum liberrima discendi omnia opportunitas suppeditat. Quæ contra ad discendum minùs accommodata ætas, quàm illa maturior, qua induruit ingenium: &, compresso animi vigore, illa percipiendi celeritas evanescit, mentis obtunditur acumen; pudor etiam & vitæ ratio sępe prohibet quęrere, quę quis ignorat; &, ut omnia alia adsint doctrinæ adjumenta, otium immensa negotiorum turba interpellat, discendi occasio agendi necessitate pręvertitur. Sed tu, adolescentior, rectè ætatem partire tuam, nec eo tempore apud Grammaticos detinearis, quo, toto percurso Philologię amœniorumque omnium Litterarum spatio, gravioribus disciplinis opera tibi impendenda esset; sed, quò breviorem discendi commoditatem breve adolescentię tempus pollicetur, eò ad sapientiam magis

prope-

properandum esse, intelligas. Magis te ergo libri, quàm spectacula; labor magis, quàm ignavia; magis sobrietas, quàm compotationes; vigilantia magis, quàm somnus; magis Minerva, quàm Venus; Litterę magis, quàm ludus, delectent. Non equidèm improbos a te exigam Didymi labores, quem χαλκέντερον appellaverunt, quod tam assiduus ac propemodum ferreus in scribendo fuerit, ut quatuor librorum millia (mirum dictu!) accumularet. imbecilliores sunt forsan vires tuæ, quàm ut dies noctibus, noctes diebus, sine ullà vel honestæ remissionis interruptione, in disciplinis addiscendis conjungas. Sed illud tamen exigo, ut diligentià, quà unà virtute, ut testatur Tullius, reliquæ continentur, vitæ brevitatem compenses: exigo, ut, nullà malè collocatà die, parte, quàm longissimam adolescentiam efficias: exigo, ut tecum versari scias, &, si societatem amas, studiorum tuorum comites, seu duces potiùs, viros totius antiquitatis doctissimos nanciscaris, qui te certissimè ad Sapientiam perducant: ut Aldum illum seniorem, hominem in Gręcis Latinisque auctoribus recensendis accuratissimum, ante oculos tibi proponas, qui, ne, importunis amicorum confabulationibus, a suis studiis avocaretur; Musęi ostio inscripserat, nequis secum agere, nisi paucis, vellet, nisi forsan, tanquam Hercules, defesso Atlanti humeros depositurus, venisset. Exigo denique, ut tempore uti discas & vivere. quod si, sedatis animi perturbationibus, quæ te huc illuc transversum agunt, didiceris; tum demum apparebit, quàm in longà vità brevis tibi sit artium omnium cursus futurus. Nunc verò, si vos, adolescentes, maximè commovent exempla, quibus, ad ani-

animos quamcunque in partem pertrahendos impellendosque, fortius in humano genere argumentum inveniri nullum potest; totius vetustatis memoriam breviter mecum percurrite: & non solùm eos, quos hactenus ita laudavimus, ut omni majores laude viderentur; sed & longè plures invenietis, qui, quum omnibus artibus fuerint liberalibusque disciplinis instructissimi, certissimo posteris documento ostenderunt, ad omnem nos scientiam adspirare posse, si eorum exempla sectemur. Sed in tantà exemplorum copià, in quà præstantissima seligimus, ne in immensum crescat oratio; quis unquam venerabile sacrosanctumque Philosophiæ nomen audivit, cui primus non obversetur animo, Philosophię hoc tempore princeps, Stagirita Aristoteles? de cujus laudibus eò minùs tacere nobis licuit, quò paullò antea impensiùs Democritum commendabamus: ne Democriticæ potiùs sectæ, quàm Peripateticæ, periculosà apud nostros homines suspicione, favere videamur. Tantæ autem sunt, quæ Philosophorum maximo, Aristoteli, debentur atque a doctissimis nostræ & superioris ætatis viris tribuuntur, laudes, ut præstet eas omittere, quàm minùs pro dignitate recensere. ut jure ab omnibus supra modum celebretur, qui non in Philosophià solùm, & iis, quę Philosophię finibus immensis comprehenduntur, facultatibus; sed in ceteris quoque omnibus artibus; neque solùm, inveniendi judicandique acumine; sed summà quadam dicendi copià & suavitate, modum ingenii excesserit humani. Quid Aristoteli Anicium Boethium adjungam, qui primus Latinis Litteris Aristotelis Philosophiam ita illustravit, ut simul, quantùm in omnibus honestis disciplinis ipse eminebat,

bat, ostenderet. Quid Aven-roem, Arabum longè doctissimum, etsi posterioris hominem ætatis, qui, ob summam suam omnibus in artibus eruditionem, Aristotelis mentem, post Alexandrum Aphrodisiensem, tantà fide expressit atque ingenii felicitate, ut magnificam Interpretis nuncupationem, κατ' ἐξοχὴν, promeruerit? Quid Mosem Maimonidem Judæum commemorem, qui primus in nugacissimà gente sapere incepit, ne apud solos Græcos aut Latinos sedem collocasse Sapientiam arbitremini; Barbarorum autem consortia dedignari? quid paullò vetustiorem alium Arabem, Avicennam, qui artem Medicam primus in ordinem redegit: tantà autem fuit diligentià, ut, anno ætatis decimo, impium superstitiosissimæ sectæ volumen memorià totum complecteretur; omniumque disciplinarum notitiam adhuc puer, nullo usus magistro, sibi comparaverit? Quid de Marco Terentio Varrone dicam, quem Romanorum omnium eruditissimum veteres commendarunt? Quid ex nostris Origenem repetam atque Augustinum, qui cunctas liberales artes admodum adolescentes didicerunt? Quid? ut ignaviæ viros nostræ pudeat, feminæ ipse plurimę omnibus mirum in modum excultæ Litteris referuntur, ut, Cratetis uxor Hipparchia, Pulcheria & Eudoxia Augustæ, Zenobia Regina, Irene item Augusta, Aspasia, Theano, Catharina, feminarumque clarissima Hypatia Alexandrina, Theonis Philosophi filia, quę in Platonicam Plotini scholam successit, tantà doctrinę famà, ut, quotquot eà ætate Philosophiæ studio flagrabant, ad illam undique confluerent. Quin & a Romano lapide Eucharis quædam, quatuor & decem annorum erudita in omnibus artibus virgo, po-

 sterorum

ſterorum memoriæ conſecrata invenitur. Ad eos veniam, propter quos omnis hæc inſtituta eſt oratio, nempe ad Oratores, de quibus minimè eſt dubitandum, non potuiſse eos exiſtere, quali fuerunt, eloquentià, ſummà atque admirabili, niſi omnem rerum ſcientiam animo comprehendiſsent. Hæc eſt enim vera eloquentia, quæ ex omnibus ſimul artibus omniumque rerum cognitione, in eruditam quandam ornatamque ſermonis elegantiam exundat; non, quæ, clamoſo quodam verborum curſu, aut, compoſito ad ſaltationis ſimilitudinem geſtu, ex communi hominum opinione vulgarique rerum notitià, quid apud imperitam multitudinem, cum plauſu quodam, dicat, mutuatur: &, ſi obiter licet mihi veteri illà Marci Antonii diſtinctione uti; ex iis plurimi, quos, e ſuggeſtu popularem auram concionando captantes, vulgus hodie eloquentes putat atque admiratur, in diſertorum quidem numero reponi, eloquentes autem dici non poſſunt, quòd ad dicendum non omnibus ingenuis artibus inſtructi accedant. Sed, ut ad veteres Oratores revertamur, quos in omni doctrinarum genere præſtitiſſe, argumento eſt non obſcuro ipſa illorum ex omnibus diſciplinis eruta eloquentia: illuſtris imprimis eſt omniumque gentium Litteris celebranda, Leontini Gorgiæ & Elei Hippiæ memoria, qui etſi arrogantiores impudentioreſque fuerint, quàm honeſtos homines decebat; attamen, ſi artes omnes ingenuas uterque non quàm optimè calluiſſet; neque unus, in magnà hominum frequentià, de omnibus, de quibus interrogaretur, rebus ſe copioſiſſimè reſponſurum profeſſus eſſet; neque alter toti pene Græciæ, quæ ad ludos Olympicos convenerat, non liberalium

um modò facultatum, Oratoriæ, Poeticæ, Geometriæ, Musicæ, Physicæ, Politicæ reliquarumque omnium, scientiam; sed &, quę suà manu confecerat, annulum, pallium crepidasque, ostentasset. Eos tamen non commemorabo, ne, si a solis Gręcis doctrinę petantur exempla, discant ipsi, insolenti quodam fastu, Latinis insultare. Non commemorabo Demosthenem, Græcorum omnium doctissimum simul atque eloquentissimum Oratorem, quem puerum admodum actiones pupillares habuisse tradiderunt. Non Isocratem, nitidissimum dicendi auctorem, cujus ex institutione innumeri eloquentię principes prodierunt. Non Thrasymachum Chalcedonium, Prodicum Cejum, Protagoram Abderitam, Lysiam, Hyperidem, Æschinem, Periclem, Phalereum Demetrium, aliosque benè multos, quos in omni studiorum genere præstantissimos, atque, ob singularem rerum omnium peritiam, ad dicendum in utramque partem paratissimos, Athenæ præsertim, fœcundæ eloquentiæ bonarumque artium parentes, tulerunt. Neque etiam in Romanorum commendatione nimis dicendo diffundar, quorum orationes cum admiratione legi olim consuevisse, testatus est Vipsanius Messalla in eo, quem Fabio Quintiliano cum doctissimis viris adscribendum censeo, Dialogo de caussis corruptæ Eloquentiæ. Non Lucii Crassi, quem tantam doctrinarum varietatem in tantis occupationibus adipisci potuisse, summè Quintus Catulus mirabatur, qui sanè Crassus, nono decimo ętatis anno, in Cajum Carbonem dixit supra hominum expectationem eloquenter. Non Caii Cæsaris, qui, primo & vigesimo anno, Dolabellam; non Asinii Pollionis, qui, secundo & vigesimo, Cajum

D 2 Cato-

Catonem; non Calvi, qui, non multò ætate antecedens, Vatinium insectatus esse fertur. Quintum Hortensium omittam, doctosque illos viros, Quintum Valerium Soranum, Titum Manilium, Sext. Ælium, Marcum quoque Censorium Catonem, in quem unum virum togę militięquæ ornamenta cuncta confluxerunt, ut idem esset optimus Orator, optimus Senator, optimus Imperator; atque, ut nihil non sciret, quod sciri posset, Græcas Litteras, quas in juventute oderat, senex didicerit. Istos omnes, quorum non ex aridis Rhetorum præceptis, sed ex intimis Sapientiæ fontibus, profluxit eloquentia, pręteribo; nec me porro detinebit, qui Romanorum in se omnium ora præ ingenii ętatisque admiratione convertit, Cęsar Augustus, quum duodecim natus annos, aviam pro Rostris laudaverit. Unus sit nobis Oratorum omnium loco, qui ad summum artem dicendi fastigium evexit, omniaque omnium aliorum, qui ubique locorum & gentium eloquentià floruerunt, decora & virtutes, ad Gracię invidiam admirationemque Romę, perfectissimè in se complexus esse videtur, vim Demosthenis, suavitatem Isocratis, subtilitatem Lysiæ, copiam Platonis, Aristotelis acumen. Hic est, quem non, nisi honoris caussà, nominandum puto, Marcus Tullius Cicero, quem, sive summum Oratorem, sive summum Philosophum, appellare velis, numquam satis pro merito commendaveris. Fuit certè utràque in laude summus, in quem totas suas vires Eloquentia simul ac Sapientia profuderunt. Neque enim, ut ipse professus est, illa tanta dicendi ubertas, ut, teste Fabio, Cicero jam non hominis, sed eloquentiæ nomen habeatur; suppetere

illi in tantà varietate rerum potuisset, nisi animum suum doctrinà Sapientiæque studiis excoluisset. Enim verò sic se ab ineunte ętate ad omnem eruditionem paravit, ut, quum a Quinto Mutio Scævola Jus civile, a principe Academiæ Philone omnem Philosophię partem, a Stoico Diodoto tum alias artes, tum Dialecticam, a Molone Rhodio Oratoriam, penitus hausisset, doctus in Forum, non docendus, veniret; primamque pro Sex. Roscio caussam, sex & viginti natus annos, maximà audientium commendatione, haberet. Neque hac contentus, Græciam Asiamque totam peragravit, ut a sapientissimis atque eloquentissimis ejus ætatis viris, & pręsertim ab Antiocho, celeberrimo veteris Academię Philosopho, a Demetrio Syro, a Menippo Stratonicensi, a Dionysio Magnete, atque ab Apollonio Molone Rhodi, de omnibus rebus erudiretur. O virum immortalitate dignissimum, qui, quum jam summus Orator esset, aliorum se disciplinæ, veluti recoquendum, tradere non dubitavit! o admirandam hominis industriam, qui felicissimam, quam a naturà sortitus est, dicendi facilitatem tantà curà expolivit! o summam cum summà sapientia conjunctam eloquentiam! Etsi verò omnibus iis artibus, quibus Tullius egregiè instructus in Forum processit, non semper in dicendo sit usus; apparet tamen, quantùm in amœnioribus Litteris, in Geometrià, in reliquis Mathematicis, in Dialecticà, Physicà, Jurisprudentià, Ethicà, facultatibus omnibus, eminuerit. Quis enim illo in Historicorum Poetarumque lectione versatior? in regionum locorumque descriptione accuratior? in argumentando acutior? in naturæ caussis pervestigandis

per-

perſpicacior? in civili vità prudentior? in bonis ſuadendis utilior? in omnibus quacunque de re diſputationibus copioſior? Verùm quid Ciceronem diutiùs proſequor, cujus nemo laudes æquaverit, niſi parem illi adhibuerit eloquentiam? quid vetera clariſſimaque eorum exempla, quos rerum omnium artiumque ſcientia brevi tempore exornavit? quaſi ſcilicet Natura, tàm pia in priſcos homines parens, quàm impia in recentiores noverca; illorum, qui nobis docendis elaboraverunt, ditandis ingeniis totam fœcunditatem exhauſerit ſuam; poſteritatem verò miſerabili ſterilitate damnaverit. Immo verò, ſi recentem noſtramque ętatem animo reputemus; non habet illa, cur de ſuorum ingeniorum infelicitate queratur; ſed habet potiùs, unde noſtræ naſcendi ſorti valde invideat antiquitas, quòd omnia, quę vetuſti rerum inventores agnoverunt, minimè nos lateant; plura autem agnoverimus, quę illos latuerunt. Non libet hoc loco, ne patientià veſtrà abuti velle videar, Auditores, integras Bibliothecas excutere, aut eos libros proferre, quibus, noſtrà memorià, nonnulli, imbecilliori adhuc ętate, quum nondum ferè ex ephebis exceſsiſſent, magnà eruditi Orbis admiratione, Litterarum Rempublicam locupletarunt. Sciunt omnes, qui Litteras noverunt, quàm puer Joſephus Scaliger Oedipum, pulcherrimam tragœdiam, elucubraverit. Sciunt, quàm parvà ætate Hugo Grotius Martianum Capellam, nobilem in paucis ſcriptorem, ab innumeris mendis expurgaverit notiſque illuſtratum in lucem emiſerit. Sciunt, quàm adoleſcentes, Nicolaus Rigaltius Funus Paraſiticum, Johannes Barchlajus Euphormionem, Juſtus Lipſius Varias Lectiones, alii opera

alia,

alia, quę notis eruditiſſimis adornarunt, ediderint. Nec eſt, cur huc referatur, quod de Andreà, Petro & Jacobo fratribus Canteriis ſcribit Henricus Cornelius Agrippa, qui, artis, quam ab auctore Lullianam vocant, beneficio, in omni diſciplinarum genere decennes diſſeruere. Nàm quàm parùm vanà iſtà arte confidendum ſit, idem ipſe in libro de Artium Vanitate Agrippa, tam verax hac in parte, quàm in pleriſque aliis fallax auctor, oſtendit. Unde quòd Petrus Daguinus Mediatus & Jacobus Januarius, quum, graviori jam ętate, incumbere in Litteras cepiſſent, adeò profecerint, ut doctiſsimis viris monſtri loco haberentur, non id Raymundi arti; ſed ſummæ hominum diligentię ſtudiorumque aſsiduitati, attribuerim. Utinam verò Agrippa malis artibus optimum ingenium, ſub ſpecioſo occultę Philoſophiæ nomine, non corrupiſſet! in ipsà enim adoleſcentià tantà artes omnes imbiberat ſedulitate, ut non perpetuo ſilentio damnandus [ut optimo eum jure graviſsimi Patres damnarunt;] ſed ſummis ad cœlum efferendus laudibus, videretur. Sed omittere tamen non poſſum clariſsima duo ſeculorum omnium ingenia, Johannem Picum Mirandulanum & Jacobum Critonium Scotum, quorum hic alter, vigeſimo ætatis anno, decem linguarum peritiſsimus, Philoſophiam inſuper, Theologiam, Mathematicas ceteraſque omnes diſciplinas aſſecutus fuerat: Picus verò, quem Etruſci ſermonis auctorem habere potuiſſemus, candidum imprimis atque elegantem, niſi amatorios verſus, religione tactus, ignibus deſtinaſſet; Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Chaldææque & Arabicæ linguæ cognitioni accuratiſſimę eam rerum omnium ſcientiam adjunxerat, ut in

omni

omni doctrinarum genere ante fuerit consummatissimus, quàm ad ętatis maturitatem perveniret; &, quatuor & viginti vix natus annos, se de omnibus rebus, quæ ad Peripateticam, Platonicam, Pythagoricam, Chaldęam Hebręamque, tum divinam, tum humanam, Sapientiam, iuxta quarumcumque sectarum & hominum diversa placita, suamque ipsius sententiam, pertinerent, in principe Orbis urbe, adversùs omnes illius ævi Sapientes, quos ex omnibus locis suo sumptu evocabat, disputaturum profiteretur. Quibus exemplis nescio an luculentiora ulla afferri possint, ut jam omnes fateantur, multos ad liberales cunctas artes perdiscendas nobis annos superesse, etiamsi vitam nostram, non senectutis, sed adolescentiæ spatio, concludamus. Sed, quemadmodum pulchrum illis fuit ad omnem doctrinam præire; ita etiam atque etiam videte, adolescentes, ne turpissimum vobis sit minimè eos sequi, quorum plerisque eadem, quæ vobis adsunt, discendi subsidia defuerunt. Nescio quem enim veluti stuporem in aliquorum mihi vultu legere videor, quos, Themistoclis exemplo, cui somnum Miltiadis trophæa excutiebant, maximè ad honestissimam æmulationem excitari oportuerat: ut, quam in aliis admirarentur, doctrinam assequerentur ipsi. At enim tardiora longè esse adolescentium nostrorum ingenia videntur, quàm ut cum maximis illis perspicacissimisque ingeniis comparari ullo modo possint. Verùm, ut summorum illorum hominum, quos in omnibus disciplinis perfectissimos hactenus prædicavi, laudibus nihil detrahendum putem; quam tamen ingenii tarditatem non vincit amor veritatis, vigilantia, assiduitas, labor,

atque,

atque, ut uno verbo omnia complectamur, diligentia? Modico vir ingenio fuit Ephorus, in quo se calcaribus uti solere, sicut contra frenis in Theopompo, eloquentissimus inter Græcos Rhetores Orator, Isocrates dictitabat. quàm tamen boni scriptoris partes omnes implevit? Tardissimo ingenio fuit Cleanthes, quem arieti Timon comparavit. quàm egregius tamen Philosophus evasit, qui Stoicorum principi Zenoni tam sedulò adhæsisse fertur, ut, quę ab illo audierat, testæ ossibusque inscribere, chartarum inopià, soleret; neque indignus, qui tanto Philosopho succederet, unus e multis judicaretur. Mediocri etiam fuit ingenio Cornelius Celsus. qua tamen arte caruit, qui sua de omnibus ferè rebus luculentissimè scripta posteritati reliquit? Te, Guilielme Budæe, appello, vir eorum omnium, quos Gallia tulit, diligentissime. Quem in rebus primùm percipiendis te tardiorem obtusioremque unquam audivimus? quem etiam undequaque doctiorem eruditioremque restitutæ Latinæ Græcæque Litteræ habuerunt? quid enim fuit in Romanà Græcàque antiquitate; quid in Jurisprudentià; quid in Philosophià reliquisque omnibus facultatibus, tam abstrusum, tam difficile, tam singulare, quod tu græcè latinèquæ non minùs, quàm vernacula Gallorum linguà, eruditus, sine magistro ullo, non investigaveris, erueris, cognoveris? Felicem te tanto viro Galliam! sed, ó quantò beatiorem uberrimo pręstantissimorum ingeniorum proventu Florentiam! Absit enim, quàm longissimè absit, Auditores, ut hanc genti meę injuriam irrogari imprudenter patiar, ut, aut adolescentes nostri summam rerum omnium scientiam desperare jubeantur, aut Florenti-

norum ingenia tarditatis a quoquam insimulentur. Quę enim ulla tam exculta humanioribusque omnibus artibus perpolita natio de ingeniorum acumine & felicitate cum Florentinis contendat? quum paucos, & qui digito monstrentur, alibi locorum doctissimos viros enumeres; hìc verò tanta sit semperque omnibus retrò seculis fuerit maximorum ingeniorum ubertas, ut Athenæ Florentiam commigrasse videantur. Quod optimo naturæ consilio factum puto, ut ea potissimùm regio bonorum sit ingeniorum feracissima, quæ, veluti quoddam doctrinarum omnium seminarium, Litteras tum Græcas, tum Latinas bonasque cunctas artes ab interitu vindicavit, e totà Græcià expulsas in hospitium recepit atque in omnem Europam diffudit. Deus immortalis! potestne quidquam ad gentis alicujus industriam summamque in difficillimis negotiis expediendis dexteritatem comprobandam magnificentius dici aut excogitari, quàm ad Bonifacium Octavum, Pontificem Maximum, a duodecim totius Orbis potentissimis Principibus totidem venisse Oratores, a singulis singulos, patrià omnes Florentinos? quorum ea cepit Bonifacium, acerrimum illum ingeniorum censorem, admiratio, ut Florentinos, quintum in rebus humanis elementum appellaverit. Hanc vestram patriam, si sapitis, intueamini, adolescentes, quæ, perenni immensoque Sapientiæ gurgite, in alias omnes terras exundat, easque copiosissimè irrigat; ipsa verò beatissima sibi sufficit, atque a nullis aliis irrigatur. Urbium vobis pulcherrimam & doctissimam semper ante oculos patriam obversari velim, & qua optimus quisque ex alienis gentibus tantopere capitur, eam animis vestris infixam, ad haurienda inde omnia

vir-

virtutis & scientiæ exempla, penitus inhęrere. Nam si tanta est a naturà ipsà charitas patrię, ut Ithacam suam vir sapientissimus Ulysses immortalitati anteponendam censuerit; quo vos tandem studio, honestissimo loco nati adolescentes, hanc eandem urbem prosequi decet, quę, divino quodam beneficio, patria vobis obtigit, ut non aliunde adscitam, sed domesticam, ad propiùs imitandum, virtutem habeatis? Immortalem intueamini majorum vestrorum memoriam, qui, etsi ad unius aliquando prę aliis disciplinæ cultum atque ornamentum studia potissimùm sua contulerint; nullius tamen rei scientià caruerunt. Intueamini, non Claudianum aliquem, tumidum magis fortasse quàm sanum, Poetam, quem, tolerabili culpà, patriæ amor quibusdam fecit Florentinum videri: sed, Poetarum Etruscorum principem ipsisque Homero & Virgilio [absit verbo invidia] facilè æquandum, Danthem Aligherium; Latinè Etruscèque doctissimum, Franciscum Petrarcham; nobilissimum historię scriptorem, Franciscum Guicciardinium; eloquentissimum simul atque elegantissimum, cujus ex ore melle dulcior fluit oratio, Johannem Boccaccium; lepidum illum rusticanorum amatoriorumque carminum auctorem, Laurentium Medicem; omnium bonarum artium procerem & patronum, summum in Jurisprudentià virum, Franciscum Accursium, qui, quadraginta natus annos, se ad Juris studium applicuit, eo doctrinæ successu, ut magno esset omnibus documento, nullà vel serà ætate Florentinorum ingenia a Sapientià retardari: celeberrimum Platonicæ Philosophiæ instauratorem, Marsilium Ficinum; insignem Peripateticæ amplificatorem, Cyriacum Strozzam:

omni eruditionis genere ornatissimos viros, Petrum Victorium, Bartholomaeum Cavalcantium, Benedictum Averanium, Vincentium a Filicaià aliosque innumeros, quorum illustria nomina nulla unquam delebit oblivio. Oculos per omnes latè terras circumferte: &, post immensa regionum mariumque spatia, quarta vobis terrarum pars occurret, quam, veteribus ignotam atque a se repertam, nomine inscripsit suo Florentinus Vespucius. Oculos ad cœlum extollite: & nova statim sydera suborientur, quæ primus detexit Florentinus Galilæus. Sed quid attinet, homines, externis aliis solutos curis atque uni Sapientiæ studio deditissimos, consectari? quando Matthæo Palmerio Florentino, nobilissimo civi, qui, ut nostræ civitatis tunc erant mores, pharmacopœus audiebat, nulli laboriosissima ars fuit impedimento, quominus subcisivis, ut ajunt, operis, eos in Litteris progressus faceret, ut Alphonsus, Rex Neapolitanus, excellentem viri doctrinam miratus, quales Florentini medicos haberent, requireret, quum tali pharmacopœo uterentur. Quòd si persequi singulos patriæ nostræ sapientissimos viros piguerit; totas integrasque familias intueamini, quę generis non minùs claritatem, quàm majorum Sapientiam, ad posteros, hæreditario jure, transmiserunt: Mediceam imprimis gentem, cui, ob summa in Litteras merita, ęquissimum Etrurię principatum Sapientia ipsa demandavit: deinde plerasque alias, quas ne uni plus, quàm alteri, me deferre suspicemini, indiscriminatim nominatas volo: Bartholomęam, Pandolphiniam, Rinucciniam, Guicciardiniam, Strozziam, Alamanniam, Ricasoliam, Niccoliniam, Martiniam, Oricellariam, Datham, Gaddiam, Gyraldam,
Bar-

Bardiam, Salviatam, Capponiam, Martellam, ceterasque, quibus Litterę ęternum nomen pepererunt. Intueamini lectissimum hunc Etruscę nobilitatis & Sapientiæ florem, viros ætatis nostræ clarissimos, qui, pro summà suà artium omnium scientià, dum Florentinam linguam ad pristinum nitorem reducere omnique expolire ornamento, moliuntur; palam cuique faciunt, quàm bene de ipsis artibus, quas, Etruscà linguà, auctores nostri explicarunt elegantissimè, mereantur. Adest etiam, quem de abstrusissimis quibuscunque rebus atque a vulgari hominum notitià maximè remotis, velut commune quoddam non Italię solùm nostrę, verùm & Orbis totius, oraculum, consulatis, singulare patriæ ornamentum, vir omnium veterum recentiorumque, post Litterarum memoriam, facilè doctissimus, Antonius Maria Salvinius, qui omnes omnium seculorum bibliothecas mente comprehendit suà, ut inexhaustæ inde sapientiæ thesauros in ceteros diffundat. Me verò, ut liberè dicam, quod sentio, valde pœnitet, ad inflammandos Sapientię studio adolescentes nostros, longa exterarum gentium documenta curiosiùs perquisisse, quum tanta sese nobis offerat domesticorum exemplorum copia, quibus luce ipsà clariùs constat, eam esse Florentinorum ingeniorum vim ac pręstantiam, ut, quocunque se converterint, summa semper videantur. Agite itaque, ornatissimi adolescentes, pudeat vos a majorum vestrorum glorià degeneres inveniri; pudeat, quam sapientię laudem vobis Patres tradiderunt, non adęquare; pudeat Florentinorum jure censeri, & Florentinorum dignitati non respondere. Quid ergo vos a summà disciplinarum omnium scientià remoratur? patrium nomen

nomen vobiſcum ipſi perpendite ; & cogitate , in maximis Europæ tumultibus, quàm pacatum otium & rerum tranquillitatem , incomparabili quadam prudentià animique moderatione, ſapientiſsimus noſter Princeps vobis præſtiterit : ut, quemadmodum aliæ gentes armis; ita ſapientià vos certetis; & quam alibi Litteræ miſerandum in modum faciunt , reparent hìc jacturam . Secundos itaque tertioſque gradus generoſi altique animi æmulatione deſpicite; ad ſummam contendite Sapientiam ; ſummum Sapientiæ faſtigium ſpectate. Neque unius vobis ſatis ſit diſciplinę cognitio, quum artes omnes liberales brevi tempore comparari poſsint , quarum mirà atque incredibili ſuavitate labores in diſcendo veſtri levabuntur. Ac, ſi vos id, quod maximè debet, veſtra patria delectat ; percipietis etiam illam ex omnium cognitione diſciplinarum voluptatem , quòd, quantùm præſtiterint veſtri majores doctrinà ceteris gentibus , tum facillimè intelligetis , ſi eorum doctrinam imitando in vobis ipſi expreſſeritis. Quod meum fuit, hoc pro viribus executus ſum, ut videtis, ut, quibus poſſem argumentis, ad Sapientię vos ſtudium excitarem : facilis vobis reliquus erit & brevis , omnium doctrinarum curſus , ſi perſuaderi patiamini.

ORA-

ORATIO II.

AUCTORE UBALDO MIGNONIO

SCHOLAR. PIAR.

Pro Arte Poetica.



UOD Ego ſæpe tacitus cogitaveram, bonarumque artium publicè defenſione ſuſceptà, jam inde a principio, cum ad hæc ſtudia politioris literaturæ me ducem florentiſſimæ juventuti prȩberi contigit, cupidè admodum, vehementerque exoptavi, ſummi Etruſcȩ Linguȩ moderatores, Archiconſul clariſsime, nobiliſsimi Academici, ceterique Auditores ampliſsimi, ut verba facere ex hoc edito & perilluſtri loco de Poeticȩ prope divinis laudibus poſſem; hoc demum tempore, in hac ſolenni luſtratione litterarum, in qua lectiſsimi adoleſcentes ad opus iterum, laboremque ſedulò capeſſendum, meà voce, quaſi quodam claſsico, revocantur, video mihi percommodè, rei, loci, datà divinitus, atque oblatà opportunitate, licere. Quum enim anno, qui proximè revolutus eſt, de toto bonarum artium curriculo perficiendo, ſuperiore autem de ſuaviſsimà litteratorum conſenſione & libertate agerem, quòd alterum abſolutæ præclararum diſciplinarum adeptioni, alterum iis, qui ad eas animum

mum adjeciſſent, maximopere conveniret; de poeticà facultate, quam e cœlo delapſam, Deique optimi, quaſi aliquo dono & munere, commendatam nobis a majoribus accepimus, quæ diu mecum maturà cogitatione ſuſceperam, opportunus dicendi locus præcludebatur. At verò quum ea præſtiterim aliquando, quę initio præfari neceſſe habui, quid erat cauſsę, cur ampliùs rem traherem, & cęleſtem condendi carminis ſcientiam, vacuam omnino merità laudatione relinquerem? Equidem non ignorabam, hanc provinciam fuiſſe non parùm ſępe a virorum doctiſsimis occupatam, ut fortaſſe videri poſſim actum agere denuo, quod ajunt, & ligna ad lucum comportare: quippe quum una hęc maximè diſciplinarum & Oratorum, Philoſophorumque ſententiis ampliſsimè prædicetur, eademque a Poetis, qui ſuum mirè negocium gerunt, prę ceteris artibus ſoleat, æquo plus etiam, lautiſsimis verbis efferri. Verumtamen quum viderem, hanc ipſam tam noſtris majoribus ſanctam probatamque facultatem, nihilò ſecius in crimen vocari, & quotidie præpoſterè, ob certorum hominum arrogantiam, audire, veritus ſum, ut ne fortè inſanæ veteratorum opiniones invaleſcerent, atque adeò hoc divinum inventum, niſi præſtantià & amplitudine, quam illi Muſæ Gratiæque tribuerunt, judicio certè & ęſtimatione multitudinis caderet. Duo ſunt, Aud. præcipue malevolorum genera, qui calumniam in Poeticam jurant; eorum primum, qui neſciunt ex ipſo ſapientiæ ſinu Poeticam defluxiſſe; eorum alterum, qui contendunt eos ineptire, aut deſipere, qui Poeticæ vacant. Illi, quum ceteras cognitiones pro nihilò putent, quas ad hanc artium nobiliſſimam afferri oporteret, gra-

viſſi-

vissimum Poetæ nomen, ob levitatem doctrinæ, flagitiosè deprimunt, eique caliginem quandam & quasi noctem offundunt; hi verò perperam a nobis agi, qui optima adolescentium ingenia tandiu miserè in syllabis pedumque dimensione occupemus, omnium auribus insusurrant. Utrisque, si Diis placet, occurram, atque illud inpræsens, quà ratione, quà exemplis, efficiam, ut apertè omnes intelligant, *Poetica studia, non, nisi cum majoribus disciplinis conjuncta, probari posse, eademque in scholis magnà cum rei litterariæ accessione laudatissimè tradi*. quod hercle cum facio, siquid minùs dignum, minùsque moderatum dixero, peto a vobis, ut ne oblitum me esse putetis mei, qui vos mihi, tanquam florentissima lumina, & duces esse & magistros ad omnem sapientiam, semper existimavi; at enim duntaxat acerbitati animi insaniam, stuporemque incredibilem, vel desipientium, vel id certè, quod sentio, invidorum, minimè sustinentis, perhumaniter tribuatis.

Illud autem initio me recreat, Auditores, quòd, quæ ego dicturus sum ad dignitatem amplissimæ facultatis non decorandam modò, sed vindicandam, non apud homines imperitos, & in his studiis, quę tantopere prædicamus, hospites sim dicturus; verùm apud eos, qui cum de omnibus plurimùm, tum de his maximè disciplinis merentur, earumque non scientissimi solùm, sed amantissimi quoque, & dici & esse, jure gloriantur. Facile quippe est atque expeditum, Athenienses Athenis laudare, divinamque efficiendi carminis intelligentiam coram his judicibus ad cœlum tollere, in quorum sinus artes olim universæ, præcipuè verò Poetica, ab excidio & furore barbarorum, qui omnem Italiam luctuosissimà

inscientiæ nocte occuparant, in quædam quasi sacraria sanctissima & munitissima confugerunt. Quis autem ignorat, Etruscam gentem, & hanc vel maximè elegantissimam Civitatem has litteras perpetuò retinuisse, quum eas ubique dejici atque exterminari videret, vicinæque nationes, præter quàm quòd de liberalibus disciplinis non ita admodum bene sentiebant, clamore militum, strepitu armorum, bellorum tumultibus personarent. Fuit illa semper, fuit oppidò nostra laus, quemadmodum perillustres in omni sapientià scriptores, ita optimos, ita divinos habere Poetas, quibus qui proximè accederent, non mediocres, sed excellentes, sed summi, reputarentur. Quid igitur metuo, Auditores, gestum agere in scenà, spectante Roscio, & Poeticam Musis, atque Apollini commendare? Vos certè, si ceteros, vos minimè fugit, quantum Deus in hac præstantissimà facultate, frugis collocarit, quantum succi & sanguinis, quantum denique ponderis & momenti in his litteris contineatur. Soleo sæpe illam veterem inconditam & desidiosam ætatem recordari ultimam; vix autem possum, cum mihi venit in mentem illius temporis, erumpentibus statim lacrymis temperare. Heù! quàm malè volente genio primi illi homines nascebantur! Quàm supinà rerum occupabantur ignoratione? quantus erat in rebus, quantus in verbis stupor? Perge porrò. Quinam homines tam valde asperos & rusticanos, feritatem abjicere docuerunt? Poetæ. Quinam Civitates, & oppida, queis se a latronibus, a rapinis, a Tigribus, a Pantheris, a Leonibus tuerentur, ædificarunt? Poetæ. Quinam Reip. administrandæ rationem, judicia, leges, rogationes, tradiderunt? Poetæ. Poetæ

rem

rem militarem, & qua potissimùm arte instruantur acies, vallo cingantur Urbes, librentur tormenta bellica, machinæ disponantur; Poetæ rem nauticam, ut vela fiant, anchoræ præcidantur, vitentur brevia, æstus frementis Oceani perfringatur, & ad clarissimos septentriones in turbidà tempestate vertamur; Poetæ animorum perturbationes, earumque regendarum modum, ut pietas, ut religio, ut constantia, ut fides, ut spes, ut cupiditas excitari, ut furor, ut metus, ut amor, ut iracundia, ut desperatio, ut libido restingui possit, persapienter excogitarunt; Poetæ denique maria, sydera, orbem universum doctissimis versibus concluserunt. Quo factum est, ut ab ineunte humani generis ætate usque ad Pherecydem nescio quem, primum solutæ numeris orationis auctorem, nihil omnino extiterit, quod in hac hominum communione, vel ad divinitatis mysteria, vel ad morum compositionem, vel ad notionem naturę, vel ad Legum scientiam, vel ad Mathematicum pulverem, vel ad Medicas, vel ad Physicas, vel ad Musicas disciplinas pertineret, quod a Poetis, quicunque demum ii fuerint, qui illo ævo floruerunt, non aptissimis versibus describeretur. Quæ res Poetis admodum multum auctoritatis, Poeticæ religionis plurimum conciliavit. Quis autem hìc dixerit iis, qui tam multa, tam plena sapientiæ, tam eruditione, non leviter semilauta, sed madida, atque perfusa modularentur, solivagam cognitionem, & jejunam fuisse concessam, præsertim quum Poeta ne appellari quidem debeat, qui vi non præstet admirabilitatis excitandæ? Enimvero dubitabimus, Auditores, quemadmodum suis versibus admirationem moverint, non ii solùm, qui Poeticam

primi professi sunt, sed qui subinde ad memoriam, & immortalitatem sunt consecrati, Græci homines, Latinique quamplures, de quorum laudibus ætas nulla, nullæque litteræ conticescunt? Credatne quispiam, eos ad tantam doctrinæ opinionem, solà carminis volubilitate, solo concentu syllabarum, & non potiùs expressà rerum cognitione, sciendique excellentià, & amplitudine dimanasse? Res loquitur, Auditores, ipsa. neque enim verba, & voces, & apices ad mirationem traducunt animos, sed scitè dicta & sententiosè, & graviter, & mente tinctà, quod quidem nemo unquam homo perfecerit, qui se non totum in rerum notiones omnium, & studia penitus ingurgitaverit. Nisi verò Principes Epicorum, aut Homerum Græcis divinitus datum, ex quo uno Plutarchus, omnem Philosophiæ varietatem, omnia dogmata, omnes artes defluxisse putat, aut Maronem Latinis concessum, ut quantùm ingenio homo valeret, Deus patefaceret, & semidoctos & garrulos, & duntaxat in numeris ac pedum moderatione versatos audeamus impudentissimè dicere. Id autem dicant, omnino necesse est, qui, Poeticam negant oceanum esse disciplinarum, quò illæ omnes sic confluunt, ut inde ortum habuerunt. Æquè enim liberales artes, atque aurea illa rerum catena [quod Homerus commentus est] quæ ad cœli verticem alligata, eòdem postea reflectitur, unde profecta pendet, serie quadam & continuatione copulatæ in eandem hanc vim primariam sese revocant, ex quà illæ deductæ sunt. Quò usque itaque insanient homunculi nescio qui, quibus tamen hæc Civitas vacat, ex argillà & luto ficti, ut sine ullo sapientiæ apparatu, sine iis litteris, quæ sunt libero homine dignæ,

ad

ad scribendum accedant, sibique ob inanem versiculos profundendi naturæ vim quandam & parabilem efficientiam, Poetæ gravissimum nomen attribuant, qui; quod olim Marsyæ supplicium Apollo inflixit, mereri, non secus atque ille semicaper, videri possunt? At oculos, Aud. huc, quæso, intendite. En vobis cum suavi cantiunculà homo ad unguem factus, stultus omnium judicio, sed suo valde sapiens, fastidiosus Latinorum, Græcorum ignarus, cum primis tamen vulgari dictione maximè perpolitus, appetens gloriæ, atque avidissimus laudis. Quid tu cum tuis istis madentibus cincinnorum fimbriis & fluentibus, cerussatisque buccis? Habeo, inquit, quos audire certè non pigeat, Etruscos aliquot hendecasyllabos, aut senariolos, non eos quidem multos, sed planè dulces & fluidos, ambrosià ipsà & Hymettio melle conditos. Euge, Poetarum suavissime, aures omnino vacant. Næ tu panges aliquid Sophoclæum. At enim ex quà huc scholà productus ades nobis homo tam bellus? Non dubito, quin ex Lyceo, vel ex Porticu, vel ex illius doctissimi senis radio & pulvere, quem vocitant Archimedem, aut saltem Democrito, Cartesiove malueris quum tu operam dare, quod equidem non arguo, huc tandem, non cantilenam sonantibus verbis inflatam, sed ipso flore sapientiæ resperfam, afferre properas. Væ capiti atque ętati meę! Quì isthuc venit in mentem misero mihi, ut canem benè sopitum, crabronemve irritarem? Quas tu Porticus, inquit, quos Cartesios, quos Democritos nominasti? Num isthinc Poeticam haurire me jubes? O insaniam capitis non ferendam! Unus ille nobis Franciscus Petrarcha pro totà tuà illà barbarià, quam effudisti, multus oppidò

dò fuerit. Apage te a me: peſtis te tenet, quę jampridem in quorumdam animos invaſit, ſed planè amentium, qui in verba jurant philoſophorum. Suas ſibi habeant Phyſici diſputationes, Mathematici ſuas, ceterique, ſi qui ſunt alii, quos ego non valeam, niſi omnes Anticyram navigare compellerem, ex quorum lectione, præter mucorem, quem longiſſimè inhalant, contrahere nihil poſsis. Audiſtin' ex tripode vaticinantis hominis, ſeu veriùs pecudis, inſipientiam? An non hęc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi putes? Hicce eſt, Aud. ſermo, hęc opinio nonnullorum inveterata, Philoſophiam, Matheſin, Geographiam, Criticen, morum ſcientiam, ſyderum, rerumque divinarum cognitionem, ceteraſque excellentiores diſciplinas Poeticę partim, aut nihil prorſus conducere; ſatis ſuperque eſſe ſermonis munditiam, concinnas verborum formulas, ſaleſque argutulos, quibus ad nauſeam ſcatere ineptiſſimè ſcripta illorum, qui ſic deblaterant, noſtrûm nemo non indignatur. Quis autem hercle ſe teneat, quin bilem in naſum conciat? Quis ęqui boni faciat tam impudentem, tam cum falſo, incognitoque communem, tam profligatam, tam perditam, tam præpoſteram opinionem? Equidem virum clariſſimum, quem iſti tam ſæpe obtrudunt, Franciſcum Petrarcham, huic addo Aligherium (quem cum nomino, non virum ſapientem, ſed ipſam ſapientiam nomino) Torquatum deinde & Arioſtum, & Caſam & Chiabreram, & Angelum, & Tanſillum, ceteroſque Etruſcæ Poeticæ anteſignanos, & ipſe omnibus inculco, omnibus prædico, eoſque in oculis & in amplexibus fero. Illud verò perſeveranter contendo ad Poetam inſtituendum,

dum, neque hos, neque ullos futuros fatis, nisi fontes adeat disciplinarum, neque ex Poetis Poeticam, sed ex scientià rerum universà, aliisque ingenuis facultatibus esse ediscendam. Ut enim cetera omittam, quàm multa, Deus bone! facile est ex locorum aut temporum ignoratione peccare? Quid? quòd neque summi viri hanc reprehensionem effugere potuerunt? Et Pindarus, quòd Mendetem Ægyptiam in præruptà maris crepidine collocarit, quum tota planitiem præfectura Mendesia teneat; & Homerus, quòd Zephirum in Græciam spirare e Thracià commemoraverit; & Virgilius, quòd Velinos portus, Palinuri verbis suos cineres indicantis nominarit, quum Velia post annum amplius sexcentesimum, quàm Ænęas in Italiam venit, fuerit excitata; & Sophocles, quòd Orestem in Pythiis descivisse è vita cecinerit, quum tamen Pythia annis post Orestem pene sexcentis Delphis incœperit; & noster divinus Aligherius, quod Orbis gyrum septem millibus supra quinquaginta milliaria minus definierit, censorià notà graviter inuruntur, & verbis judiciisque acerrimis sugillantur? Rectè an secus nihil ad nos, aut si ad nos, nihil ad hoc tempus; ipsi viderint, qui tales viros in crimen vocant. Quod ad me attinet, Aud. illud omnino repeto, quòd si homines immortalitate donati, quorum omnia egregia sunt, & perfecta, in re ejusmodi, absurda, & minimè consentanea scriptitasse culpantur; in quot enormes impingant scopulos, necesse est, quantis locorum erroribus implicentur, quot demum congerant anachronismos, qui sic agunt Poetam, ut ne primoribus quidem labris reliquas disciplinas attigerint? Corvos mehercle Poetas hoc pacto, & Poetridas Picas nullo nego-

cio

cio fieri posse non dubito. Itaque, ut multa in pauca conjiciam, laudo castitatem sermonis, sonoram & nitidam locutionem non improbo, admitto, quibus illustrari poemata non oportet modò, sed opus est, charites & lepores, Maronem præterea, eos, qui Latina carmina efficiunt, & Flaccum, & Tibullum, & Propertium, & horum similes jubeo, Aligherium, Tasum, Petrarcham, ceterosque Etruscæ Musæ magistros, Etruscè volentibus canere, volo equidem quàm qui maximè, commendatos. Illud autem semel atque iterum moneo studiosos Poeticę facultatis Adolescentes, debere eos omninò, antequam horum scripta præclarorum hominum terant, seque ad scribendum adjiciant, sibi peramplum in cognitione majorum disciplinarum patrimonium conficere, quo instructi, possint paratiores ad Musas, sive Etruscas, sive Latinas accedere, & sanctissimum Poetæ nomen pro ipsius dignitate & glorià honorificè sustinere. Rerum inprimis, verborum deinde solicitudo eos cruciet. facile quippe est amictum, ut dictitant, imitari, intima verò animi sensa ad nostros actus traducere, difficillimum. Exemplo sint illi ipsi, quos habent fingendi versus auctores. Non hi delicatioribus voculis studuerunt duntaxat, aut sententiis in quadrum & numerum redigendis, sed ex omni doctrinarum scientià poemata condiderunt tantà granditate & præstantià, ut divino potiùs afflatu, quàm humano consilio, tam summa, tam exquisita, tam mira fieri potuisse videantur. Habent ergo Latina in deliciis? habeant maximè; sed Græca non negligant. Etrusca magis arrident? arrideant sanè; verumtamen Latina non aspernentur. Illud memoria teneant altius impressum, eos nempe viros egregios,

quos

quos ego recèns honoris causà nominavi, latinitatis fuisse & peritos & cupidos & studiosos; alios prætereà extitisse, ut Angelus Politianus, Syncerus Sannazarius, Petrus Bembus, Benedictus Varchius, Franciscus Molza, qui dubium omnino posteris reliquerunt, quum Latino Etruscoque sermone mira opera elaborarint, utro demum ad hanc amplissimam gloriam effloruerint, quam sibi immortalem iis ipsis operibus pepererunt. Sed jam intelligo, Auditores ornatissimi, me in hac quæstione pro re pauca, pro vestrà prudentià satis, pro tempore nimis etiam multa, dixisse. Restat pars altera, quam quia cogimur, more Atheniensium, ad clepsydram dicere, degustabo leviter, & digitis, ut ajunt, extremis attingam. *Non est, quare miseros Adolescentes in poematis elucubrandis, inutiliter urgeamus, qui tandem, cui bono fuerit, si Poetæ Reip. admoveantur?* O præclaram peracuti hominis, & de communi salute cogitantis, querelam! quasi nos Poeticę studio id unum herculè moliremur, ut Poetæ evaderent adolescentes, & non his artibus aditum ad reliquas disciplinas aperiremus. An non hac ipsà ratione Historia Philosopho, Philosophia Historico, Jurisprudentia Theologo, Theologia Jurisprudenti deberet omnino interdici? Cur enim si Theologum meditaris, Historicum formes; si Philosophum, Jurisprudentem; aut si Jurisprudentem, cur Theologum nobis instituas? Nego igitur primùm, illud esse consilii nostri propositum, cum juvenes in libris Poetarum & versibus construendis detinemus, ut nimirum in lucem hominum laureatos Apollines proferamus. Non id fuit in causà, quare majores nostri hanc studiorum, quomodo Græci dicunt, οἰκονομίαν in

Scholis sapientissimè constituerint, ut videlicet ad rerum agendarum procurationem, carminum conditores effingerentur. Alia fuit ratio præstantior, alia longè diversa cogitatio, quam isti homines fortasse non improbi, certè imperiti minimè norunt. Quid enim gymnasia tam multis ubique terrarum & gentium celebrari videmus, nisi ut latinè sciant, latinè intelligant, latinè scribant, latinè loquantur? Agedum, si ut Latini fiant adolescentes, in ludis propemodum consenescunt; qui melius eos latinitatem edoceant, quàm qui aureo illo seculo floruerunt, Terentius, Catullus, Cęsar, Nepos, Cicero, Virgilius, Horatius, Ovidius, Livius, Sallustius? Poetæ ergo non minùs, quàm qui solutà oratione scripserunt, Latinum nobis sermonem nitore, majestate, elegantià castigatissimum, atque ornatissimum transmiserunt. Quam ob rem quę malum! dementia est, Auditores, ut obelo expungere velimus eos, qui, quum ordines ducant iis ipsis in litteris, quas avidissimè appetimus, omnium prętereà hominum consensione, Romanę locutionis magistri, & principes reputantur? Sed ajunt non improbare se Poetarum lectionem, in quibus flos ipse & succus puræ putæ dictionis asservatur, morem duntaxat rejicere illorum, qui Poeticà adolescentes erudiunt, quę jamdiu facultas doctorum hominum opinione & judicio decoxit. Quis isthęc amplius puerilia vel legat, vel si legat, non nauci faciat, quum tot amplissimæ disciplinæ sint, quas arripiamus, nec inutiles prorsus nec indotatæ. His omnino vacare, has totis viribus persequi, absque eo quod ad ineptias & nugas adhinniat, nostra Civitas debet. Transegisse negocium se putat gravis auctor Aristophanes,

phanes, credo, aliquis, aut Ariſtarchus, cum altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, nedum legendos, ſed inaurandos etiam, & ſuaviandos eſſe Poetas ad aures clamat, latinitatem ex ipſis libandam, ceterùm ſibi Poeticam non placere. At cognoſcite, Auditores, ingenium perſpicaciſſimi hominis, qui album, atrumque non internoſcens, non modò convenientia non dicit, ſed dicit maximè repugnantia, atque contraria. In id ipſum enim ſeſe induit, quod vehementiùs inſectatur, & verbo, quod acrius reſpuit, re cum primis affirmat. Latinam linguam infundi Adoleſcentibus omnino præcipit, negat fieri verſus, quibus illa commodiùs non in aures, ſed in animos inſtillatur. Mihi verò longè videtur secùs. Quid enim eſt tandem hoc diſcere Latinitatem, quod hi tantopere inculcant, niſi lautam ſibi, & magnificam verborum ſupellectilem comparare, non planè vulgarem & horridam, ſed nitentem & ſplendidam & ornatam, quà decorè, non inquinatè, aptè non temerè, litteratè, non barbarè, Latina verba faciamus? Id autem quomodo aut citiùs, aut tenaciùs aſsequamur, quàm carminibus efficiendis, quę ad ſententias concludendas, tam diſtrictum verborum nexum, ſyllabarumque conſenſionem tam aptam, tam conſpirantem depoſcunt, ut perſæpe ad verſum duntaxat conflandum innumera debeamus vocabula idem omnino ſignificantia expiſcari? quò fit, ut vi & neceſsitate quadam coacti, etiam in gratiis memoriam, fidiſsimam auditarum rerum perceptarumque cuſtodem, mirificà verborum dote locupletemus. Mitto, quàm animus excitetur, quàm recaleſcat, quàm æſtuet divino Poeticę ſtudio, ut ii nonnunquam, quos brutos & bardos &

stupidos putabamus, Musarum spiritu repente commoti inflammentur, & inchoatæ rerum notiones omnium, quas Deus, & natura nobis ingeneravit, situ quodam prius & cœnosi coneretione corporis hebescentes, continuò caligine excussà, & florescant & vigeant & fruticentur. Hæc non sunt, Aud. quęsita ex aliquo occulto genere litterarum, sed sumta de medio, & rebus ipsis, de quibus maximè non semel, aut iterum, sed centies experti sumus. At Poeticà juvenes effœminantur eamque ipsi nequiter ad obscęna detorquent: multa præterea in Poetis offendimus mollia, lubrica, flagitiosa, quæ teneram adhuc ætatem illecebris & languidis voluptatibus liquefaciunt, pudoremque naturà adolescentibus attributum sensim depascunt. Agerem equidem censori nostro jam gratias, qui magister factus veteris disciplinæ tam gravem nobis religionem injiceret, si deplorandam epheborum depravationem Poeticę potius, & non domesticæ majorum institutioni adscribendam putarem. Ipse ego in primis sua sibi habere Poetas juberem, omnesque tribu movendos, & remis etiam velisque fugiendos esse contenderem, siquidem horum subesse aliquid suspicarer. Sed vide, quæso, ne illa caussa sit tam prænaturæ juvenum impudentiæ, quòd mala hujusce ætatis consuetudo, sertis redimiri pueros jubet & rosà, eisque cedrum incendit, & promulsidem miscet, & ad psaltrias, ad unguentarios, ad choreas, ad equorum magistros, ad gladiatores adducere; & in culcitrà plumeà eos collocare magis amat, quàm scholis tradere bonis artibus informandos. Veruntamen, ut tute somnias, fac ita esse. Quid ergo etiam gladios & arma ex Urbibus non prohibemus, quòd his

uti

uti latrones ad vias obsidendas, ad cædes, ad rapinas perpetrandas, quotidie cernimus? Cur pingendi, & illi finitimam sculpendi artem non amandamus, quæ non verbis & voculis, ut Poetæ solent, sed opere, & manu facta impurissima monumenta perficiunt, ipsis prope sensibus attrectanda; quæ quid aliud sunt, quàm flexanima vitiorum lenocinia, domestica virtutis pericula, magisteria denique effrenatissimæ improbitatis? Ipsas mehercle Theologicas disciplinas cur ablegandas longissimè non edicimus, quibus tam multi perversè quum abutantur, sanctissima Religionis mysteria pertinacissimè oppugnant? Profecto, quia non vitio disciplinarum, quæ honestissimę sunt, sed conclamatæ nequitiæ hominum perditorum, id vertimus, qui, araneorum more, quem succum apes in nectar, & mel suavissimum commutare solent, ipsi in virus, & pestem perniciosissimam transferunt. Porro, hæc est summa conclusionis meæ, si reliquæ sunt extirpandæ artes ingenuæ atque explodendæ; & Poeticam explodamus, crucique etiam, si placet, affigamus. equidem non repugno. Sin verò reliquæ retinendæ, quæ tandem invidia est, Auditores, ut artium nobilissimam atque sanctissimam, homines sesquibarbari pannis, annis, situque obsiti, & ad ravim contentiosi, tanquam album elephantum, insequantur? *O præclaram emendatricem vitæ Poeticam*, Tullius exclamat: quid isti altricem impuritatis appellant? *Dicta per carmina Sortes*, monet Horatius, *Et vitæ monstrata via est*. Quid isti carmen, pudoris bustum, morumque tabem funestam & detestabilem nominant? *Deorum filios* divinus Plato vocat Poetas, quos Socrates adductus invidià, quòd Poeticam Philosophię

præ-

prælatam videret, in Scythiam, aut extra anni Solisque vias relegavit: Hi verò, non secus pari furore correpti, Poetas eradicandos esse vociferantur, & neminem hominem ex illa veterum verè sapientum officinà Poeticam adamasse, probasse neminem, clamant. At quàm solenniter decipiuntur, deus bone! quàm longè errant a veritate! Quod enim genus litteratorum unquam fuit, quod quum gravissimas disciplinas profiteretur, poeticè aliquid scribere non etiam voluerit, & ad severissimà rerum studia Musarum quoque choros accersere, quibus seria mansuetioribus temperaret? Num Philosophi? At Plato Solonis Atlanticum exornavit, Aristoteles elegos ad Eudemum aptissimè scripsit, Titus præterea Lucretius Carus, Eratosthenes Cyrenæus, Marcus Varro rite Gratiis & Apollini sunt operati. Num Mathematici? At Thales Milesius Aratus Solensis, qui Φαινόμενα versibus concinnavit, Tullii adhuc litteris vivunt, atque omnium sermonibus celebrantur. Num Medici? At Eudemum, & Heliodorum, & Philonem Tarsensem, & Democratem Servilium, Galenus ipse laudibus ad cœlum vehit. Num Theologi? At fuit Apollinaris Syrus cum omni antiquitate comparandus, fuit Lucius Celius Lactantius Firmianus, fuit Victorinus Afer, is, qui Hieronymum humanioribus instituit, fuit denique Cęcilius Cyprianus, & Jo: Damascenus, quorum nominibus jam in album relatis virorum sapientum, qui de divinitate scribendo, optimè meruerunt, Ascra etiam, & Pindus clarè admodum, superbèque gloriantur. Sexcenti pręterea sunt, quos memorem, si sit ocium; verùm, ut finem faciam, & ad extrema jam currat oratio, cùm plura me monent, Aud. amplissimi, tum illud ma-

ximè

ximè, quòd hic vester in me oculorum intuitus, & isti vultus, qui sensus animi manifestè declarant, spem faciunt mihi meam vobis caussam esse probatam. Exemplorum igitur multitudine supersedeo, idque eò libentiùs, quò longinqua repetere necesse non videatur, ubi tam magna suppetit vis hominum præclarorum, qui cum sanctioribus disciplinis amœnissima Poetarum studia honestissimè copulant, & quum ceteris, ingenio, dignitate, doctrinà, longissimè præstent, facem etiam quodammodo Poeticæ præferunt, viamque commonstrant, & digitum, ut est in verbo, ad fontem intendunt. Quos enim meliùs, quàm vos, Academici sapientissimi, nostræ Civitatis adolescentibus ad imitandum proponam, qui quum Etrusci sermonis Antistites vulgarem locutionem politiùs limare, atque ornare dies noctesque meditemini, non idcirco Græcas, Latinasque litteras temnitis, quarum germanissimas voces in vestrum illud tam omnibus celebratum, probatumque Lexicon addere, ex omni rerum notione, sapientiàque voluistis, quò planè omnes scirent, vos, non ut Philologi faciunt, verba solùm & vocabula, quemadmodum, qui ædibus venditis, ruta tantùm cæsa recipiunt, ex amplissimà omnium artium universitate compilavisse, sed inibi scientiæ fundamenta firmissima posuisse, quæ sunt initia discendi, & omnium quasi latibula doctrinarum. In vos igitur nostri juvenes intueantur, ex quorum subselliis eruditissimi semper hominum, at nuper, ut eos nominemus, qui e vità proximè decesserunt, cœlestes atque divini, Benedictus Menzinius, Franciscus Redius, Benedictus Averanius, Vincentius a Filicaja, ad vestrum consessum nobilissimum, atque amplissi-

mum,

mum, ad communem hanc Patriam, ad orbem uni-
verſum condecorandum, atque illuſtrandum prodi-
erunt, viri certè, qui, quum graviſsimis ſtudiis inten-
ti eſſent, in poeticis tamen diſciplinis omnes antea-
ctæ ætatis auctores in certamen gloriæ provocave-
runt. Vos, inquam, noſtri juvenes ſtudiorum ſuorum
duces habeant, ſi viam velint altiſsimæ facultatis in-
ſiſtere, quam non ex triviis, aut circumforaneis ci-
tharœdis, ſed ex ipſis Sapientiæ adytis, ex intimis
debent rerum ſacrariis, & fontibus petere. Illud in
primis reminiſcantur, eſſe Poeticam veræ virtutis ad
eximia animos cohortantis magiſtram, eſſe humanæ
ſocietatis originem, eſſe omnis cognitionis, quæ ſa-
pientum ingenia colluſtrat, altricem nutricemque
beatiſsimam. Hinc enim canere Poetarum Græci ἀεί-
δειν, quod idem omnino valet ac valdè intellige-
re, apto ad rem exprimendam vocabulo, dictitarunt,
eò maximè, quòd ſatis magnà cognitione, & ſcien-
tià Poetas excellere neceſſe ſit. Quare omnino fieri
non poteſt, ut ad tantam, tam uberem diſciplinam,
tam vaſtum, tam interminabile Oceanum, rudes
prorſus, imperitique accedamus, quin tenebris of-
fuſis, ſine remige, ſine velis, ſine gubernatore navi-
gantes, in maximos rerum ſcopulos incidamus, &
nudi tandem, quemadmodum nudi, & nullà ſapien-
tiæ cognitione muniti jam portu ſolvimus, ex miſer-
rimo, turpiſſimoque naufragio ejiciamur. Tum dein-
de aures occludant, oportet, inanibus nebulonum ſer-
munculis dictitantium, inutiliter in Scholis hanc ſpar-
tam per miſeros adoleſcentes ornari, qui poſſent ma-
turiùs ad majora trajecti, ſolidioribus rebus navare
operam, quam in Poetarum deliriis, in pedibus mo-
derandis, in verſibus demum dementiſsimè perdunt;

non

non enim, etsi multi sudoris est, est etiam haud frugi, in carminibus efficiendis ingenium excolere, quę spiritum naturà attributum, & vim mentis cœlestem, quasi fluctuantibus humorum motibus implicatam, inflammant, quæ rerum, verborumque thesaurum locupletissimum sensim in animum nil tale meditantem important, ingerunt, atque infundunt, quo ad puriorem latinitatem, atque auream felicissimi illius seculi locutionem informamur, ut sępè in aliud intenti barbarorum scoriam paullatim abjiciamus, Romanàque linguà, quantùm in intermortuo sermone fieri potest, ad illecebram etiam, & voluptatem loquamur. Quod quia adverterunt viri clarissimi, litteratorum, qualecumque tandem genus fuerit, nemo extitit, qui se a Musis abstinuerit, & hanc suavissimam studiorùm rationem reprehenderit, & sapienti homine dignam non reputaverit. Id profectò si animis nostri juvenes altius immittant, si sæpius, quod ut faciant, vehementer suadeo, assiduà meditatione recoquant, quum vos præsertim, Academici nobilissimi, in hoc honoris & laudis curriculo longissimè præcurratis; spero equidem fore, ut florentissimi Adolescentes, qui ad nostra gymnasia ventitant, quum ætate ineunte jam maturuerint, benè de Poeticà, benè de Litteris, optimè de Republicà mereantur.

Habita est superior oratio Florentiæ in Sanctę Mariæ ad Riccios, IV. Idus Decembris Anno MDCCXXII. in magnà Excellentissimæ Academiæ frequentià, Archiconsule, Clarissimo Viro, Andrea Franceschio: Consiliariis, Dominico Tornaquincio, & Carolo Rinuccinio: Censoribus, Antonio M. Salvinio, & Josepho Averanio, Viris Clarissimis.

ΕΥΣΤΑΘΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ

ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ

ΕΙΣ ΤΗΝ ΟΜΗΡΟΥ

ΙΛΙΑΔΑ.

EUSTATHII

ARCHIEP. THESSALONICENSIS

COMMENTARII

IN HOMERI ILIADEM.

ALEXANDER POLITUS SCHOL. PIAR.

Latinè vertit, recensuit, Notis illustravit.

Additis etiam Notis

ANTONII M. SALVINII

V. CL.

ΕΥΣΤΑΘΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ

1

ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ

Εἰς τὴν Ὁμήρου Ἰλιάδα.



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

2



Τῶν Ὁμήρου σειρήνων, καλὸν μὲν ἴσως, εἴ τις ἀπόσχοιτο τὴν ἀρχὴν, ἢ κηρῷ τὰς ἀκοὰς ἀλειψάμενος, ἢ ἀλλ' ἑτέραν τραπόμενος, ὡς ἂν ἀποφύγῃ τὸ θέλγητρον. μὴ ἀποσχόμενος δὲ, ἀλλὰ διὰ τῆς ᾠδῆς ἐκείνης ἐλθὼν, οὐκ ἄν, οἶμαι, οὔτε παρέλθῃ ῥᾳδίως, εἰ καὶ πολλὰ δεσμὰ κατέχοι· 3 οὔτε παρελθὼν, εἴη ἂν εὔχαρις. Εἰ γάρ που, ὥσπερ θεάματά τινα, ὁποῖα τὰ θρυλλούμενα ἑπτὰ ἐν λόγοις κεῖνται, ἀριθμήσει τις καὶ ἀκού-

EUSTATHII

ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS

COMMENTARII

In Homeri Iliadem.

Interprete

ALEXANDRO POLITO

SCHOL. PIAR.

PROOEMIUM.



Ræstaret fortasse ab Homeri sirenibus omnino abstinere, vel auribus cera illitis, vel certè converso in aliam partem itinere, ad illecebram effugiendam. Siquis enim minimè se abstinet, sed ad cantilenam illam accedit; neque hic, puto, facilè prætererit, etsi multa eum vincula constringant: neque, ut prætereat, ingenio esse poterit ad Gratias & Musas comparato. Nam si, quemadmodum res spectatu dignas, qualia septem illa vulgò miracula celebrantur, enume-

σμα-

ret etiam quispiam digna auditu, præstantium opera ingeniorum, inter ea maximè locum sibi quoque vindicaverit Homericum carmen. quod neminem arbitror priscorum Sapientum non degustasse, & maximè quicunque ex illis externam sapientiam hauserunt. Ut enim omnia flumina, omnes fontes, putei omnes, quod vetus habet adagium, ex Oceano; ita ex Homero, si non omnis, multa certè ad sapientes affluxit copia doctrinarum. Homericam siquidem scenam nemo quisquam illorum præteriit, quin ad eam visendam duceretur, sive res supra naturam constitutas, sive naturam ipsam, sive mores, sive quomodocunque extraneas, ut unus quispiam vocaverit, profanasque litteras, accuratè inquisiverit: sed apud eum hospitati sunt omnes: alii, ut apud ipsum ad extremum usque degerent, ejusque dapibus enutrirentur: alii, ut, qua indiguissent, explerentur, simulque ex eo referrent, quod utile esset orationi. quibus & sacerdos Pythia adnumeranda est, utpote quæ ad Homericam rationem responsa pleraque expoliebat. Et philosophi, etsi, ut paul-

σματά τινα ἐπιστροφῆς ἄξια, εἴη ἂν ἐν αὐτοῖς μάλιστα καὶ ἡ Ὁμηρικὴ ποίησις· ἧς οὐκ οἶμαι, εἴ τις τῶν πάλαι σοφῶν οὐκ ἐγεύσατο, καὶ μάλιστα τῶν ὅσοι τῆς ἔξω σοφίας ἠρύσαντο. ⁴ Ἐξ ὠκεανοῦ μὲν γὰρ ποταμοὶ πάντες, πηγαὶ πᾶσαι, φρέατα πάντα, κατὰ τὸν πάλαι λόγον· ἐξ Ὁμήρου δέ, εἰ καὶ μὴ πᾶσα, πολλὴ γοῦν παρεισέρρευσε τοῖς σοφοῖς λόγου ἐπιρροή. Οὐδεὶς γοῦν οὔτε τῶν τὰ ἄνω περιεργαζομένων, οὔτε τῶν περὶ φύσιν, οὔτε τῶν περὶ ἦθος, οὔθ' ἁπλῶς τῶν περὶ λόγους ἐξωτερικούς, ὁποίους ἂν εἴποι τις, παρῆλθε τὴν Ὁμηρικὴν σκηνὴν ἀξεναγώγητος· ἀλλὰ πάντες ⁵ παρ' αὐτῷ κατέλυσαν· οἱ μέν, ὡς καὶ διάγειν παρ' αὐτῷ μέχρι τέλους, καὶ τῶν αὐτοῦ συσσιτίων ἀποτρέφεσθαι· οἱ δέ, ὥστε χρῆσαι ἀποσυλῆσαί τινα καὶ συνεισενεγκεῖν ἐξ αὐτοῦ τῷ λόγῳ τι χρήσιμον· ἐν οἷς καὶ ἡ Πυθία, πολλοὺς τῶν χρησμῶν πρὸς Ὁμηρικὴν μέθοδον ἀποξέουσα. Φιλόσοφοι

περὶ

περὶ αὐτόν, εἰ καὶ Ἵππαρχος φθονεῖ, ὡς μετ' ὀλίγα ἱστορηθήσεται. Ῥήτορες περὶ αὐτόν. Γραμματικοὶ δέ, οὐκ ἄλλως εἰς τέλος, εἰ μὴ δι' αὐτοῦ. Ὅσοι δὲ μετ' αὐτὸν Ποιηταί, οὐκ ἔστιν, ὃς ἔξω τι τῶν αὐτοῦ μεθόδων τεχνάζεται, μιμούμενος, περιποιῶν, πάντα ποιῶν, δι' ὧν ὁμηρίζειν δυνήσεται. [6] Ἄγουσιν αὐτὸν καὶ Γεωγράφοι διὰ ζήλου πολλοῦ καὶ θαύματος. Ὁ περὶ τὴν ἀσκληπιαδῶν δίαιταν καὶ τὰ τραύματα, ἐρανίζεται καὶ αὐτὸς ἐκεῖθεν ἀγαθά. [7] Ἐφέλκεται τὸ πρᾶγμα καὶ βασιλεῖς· καὶ [8] μαρτυρεῖ ὁ μέγας Ἀλέξανδρος, κειμήλιον, εἴτε καὶ ἐφόδιον καὶ ἐν αὐταῖς μάχαις, τὴν Ὁμηρικὴν βίβλον ἐπαγόμενος, καὶ τὴν κεφαλήν, ὅτε ὑπνοῦν δέοι, ἐπαναπαύων αὐτῇ, ἵνα τάχα μὴ δὲ ἐν ὕπνοις αὐτοῦ ἀπέχοιτο· ἀλλὰ καὶ φανταζόμενος, εἴη εὐόνειρος. Καὶ ἔστιν ἀληθῶς βασιλικὸν πρᾶγμα ἡ Ὁμήρου ποίησις, καὶ μάλιστα ἡ Ἰλιάς. καὶ [9] παροιμία μέν τις κακῶν Ἰλιάδα φησίν· αὐτὴ

id post commemorabitur, admittere Hipparchus nolit, ei Oratores operam dederunt. Non nisi per eum Grammatici artem perfecerunt suam. Poetarum, quotquot eum sunt subsecuti, nemo est, qui præter viam rationemque ipsius, aliquid moliatur; sed imitatur eum quisque, sibi vindicat, facit omnia, quibus exprimat, quantum potest, Homerum. Eum magno studio prosequuntur, atque admiratione, Geographi. Qui medicam victus rationem, curationemque vulnerum consectatur, ipse quoque ex illo utilia colligit præcepta. Trahit res ipsa & reges: testemque magnum illum habemus Alexandrum, qui, veluti pretiosissimum munus, sive etiam viaticum, vel in ipsis præliis, Homeri codicem circumduceret, imponeretque ei ad quietem caput, quando somno se tradere opus erat, forsan ut ne inter dormiendum quidem eo careret: sed, ut sibi quoque per somnum bona visa evenirent. Ac profectò regium opus, Homericum carmen, & potissimum Ilias. & licèt in adagio sit Ilias malorum; ipsa

δὲ

tamen bonorum omnium Ilias est: quum, etsi in morem dramatis fabulæque composita, uno sub pluribus personis servato narrationis tenore; attamen referta sit sexcentis, quas recensere quis posset, utilibus honestisque rebus, Philosophià, oratorià arte, bellicæ rei peritià, moralium virtutum doctrinà, in summà, omni genere artium & disciplinarum. Illic quis habet, unde & dolos nequaquam malos, & contexta utiliter mendacia, & acria dicteria, & celebrandarum laudum artificium addiscat. De prudentià nihil attinet dicere, quantam ei adsciscat, qui advertere animum velit: item quot quantaque, splendida & grandia in historià conspiciantur. Nec hisce Homerum quis defraudaverit, quòd multarum rerum insignis sit experientià, quòd aures oblectet, quòd animos instruat, quòd ad virtutem erigat, quòd alia præstet, quæ boni probatique historiæ conditoris laudem conciliant. Sin, quia plenus est fabularum, periculum est, ne in pretio habere eum desinant: at certè imprimis non ad risum Homericæ

δὲ καλοῦ παντός ἐστιν Ἰλιάς· δραματικώτερον μὲν σχηματιζομένη διὰ τῆς μονοειδοῦς μὲν, πολυπροσώπου δὲ ἀφηγήσεως· 10 γέμουσα δὲ μυρίων, ὧν ἄν τις εἴποι, καλῶν, φιλοσοφίας, ῥητορείας, στρατηγικῆς εὐτεχνίας, διδασκαλίας τῆς περὶ ἠθικῶν ἀρετῶν, τεχνῶν ὅλως παντοίων καὶ ἐπιστημῶν. Ἔχει τις καὶ δόλους ἐπαινετοὺς ἐκεῖθεν μαθεῖν, καὶ ψευδῶν κερδαλέων συνθέσεις, καὶ σκωμμάτων δριμύτητας, καὶ ἐγκωμίων μεθόδους. Φρόνησιν δὲ, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὅσην περιποιεῖται τῷ προσέχειν ἐθέλοντι· 11 καὶ ὅσα δὲ τῇ ἱστορίᾳ ἐπιθεωροῦνται σεμνά. Οὐκ ἂν οὐδὲ τὴν Ὁμήρου τέχνην τῶν τοιούτων ἀποστερήσῃ τις, τῆς πολυπειρίας, τοῦ τὰς ἀκοὰς ἡδύνειν, τοῦ τὰς ψυχὰς παιδεύειν, τοῦ εἰς ἀρετὴν ἐπαίρειν, τῶν ἄλλων, οἷς ἱστορῶν ἐνευδοκιμεῖ. Εἰ δ', ὅτι μύθων γέμει, ἐκπίπτειν αὐτὸν κίνδυνός ἐστι τοῦ θαυμάζεσθαι· ἀλλὰ πρῶτον μὲν, 12 οὐ πρὸς γέλωτα οἱ ὁμηρικοὶ μῦθοι,

θαι, ἀλλὰ ἐννοιῶν εὐγενῶν σκιαί εἰσιν, ἢ περιπετάσματα· οἱ μὲν ὑπ' αὐτοῦ πλαττόμενοι πρὸς τὰ ὑποκείμενα, οἳ καὶ πρὸς αὐτὰ οἰκείως ἀλληγοροῦνται· πολλοὶ δὲ καὶ ὑπὸ τῶν παλαιῶν μὲν τεθειμένοι, ἑλκόμενοι δὲ χρησίμως καὶ εἰς τὴν ἑαυτοῦ ποίησιν· ὧν ἡ ἀλληγορία, οὐ πάντη πρὸς τὰ Τρωϊκά· ἀλλά, ὅπως ἂν ἐξ ἀρχῆς ἠνίξαντο οἱ αὐτοὺς πλασάμενοι. Ἔπειτα, οὐ δὲ ἔχαιρεν αὐτόθεν μύθοις ὁ τῆς σοφίας τρόφιμος. ἡ σοφία τε γάρ, θεωρία ἐστὶν [13] ἀληθευτική· καὶ ὁ σοφὸς δέ, τοιοῦτος· οἷος οὖν καὶ ὁ Ὅμηρος. [14] Ἀλλά, διὰ τὸ τῶν πολλῶν ἐπαγωγόν, αὐτοὺς τῇ ποιήσει παρεμπλέκων τεχνάζεται, ἵνα δελεάσας καὶ θέλξας τῷ προφαινομένῳ, δικτύων, ὅ φασιν, ἔσω λάβῃ τοὺς ὀκνοῦντας τὸ τῆς φιλοσοφίας γλαφυρόν. εἶτα καὶ γεύσας τῆς ἐν ἀληθείᾳ γλυκύτητος, ἀφήσει σοφοὺς πορεύεσθαι, καὶ θηρᾶσθαι αὐτὴν καὶ ἄλλοθεν. Ἔτι δὲ γίνεται καὶ [15] μεθοδευτὴς οὕτω τῆς τῶν μύ-

fabulæ referuntur, sed umbræ sunt aut vela altiorum sensuum: quum aliæ sint ab eo, pro argumentorum materià, confictæ, quæ & ad ea ipsa argumenta allegoricè aptantur, aliæ verò multæ excogitatæ sint a veteribus, atque in hujus auctoris carmen utiliter pertractæ: quarum allegoria fabularum nihil prorsus ad res pertinet Trojanas; sed, quemadmodum a principio significare voluerunt, qui eas confixerunt. Deinde neque ipse per se, aut suopte ingenio fabulis alumnus hic sapientiæ afficiebatur. Etenim sapientia contemplatio est, & studium veritatis: & hujuscemodi est sapiens: ac proinde Homerus. Verùm propterea quòd vulgus maximè allicitur fabulis, eas solerter comminiscitur adtexitque carmini, ut externà illarum specie inescatos, ac delinitos, intra retia, quod ajunt, eos prehendat, quos profundioris piget philosophiæ. Postea verò quàm gustandam præbuerit dulcedinem veritatis, tum sinet sapientes abire, veritatemque ipsam aliunde etiam venari. Ad hæc rationem ita tradit, qua, cum similitu-

θων

dine veri, fingantur fabulæ, ut, quemadmodum ad reliqua orationis genera, ita ad hoc quoque, discendi studiosos instituat. Illud etiam interea maximèque admirabile habet Homerus, quòd vel refertus fabulis, non tamen rejicitur; sed amatur, ac colitur: &, qui odisse eum præseferunt, non dedignantur alioquin ipsum attrectare: &, quum eum procul, tanquam inauspicatum, amandent, rursus postea admittunt, Scythæ illi, qui in proverbio est, similes, qui, quum, inspectantibus Græcis, a cadavere præstantis equi se contineret; attamen tacitè reversus, pro consuetudine suà agebat, ut id, quod volebat, perciperet. Si autem & qui re aliquà utuntur, utilem eam esse, ac bonam, palam faciunt; nihil est controversiæ, quin magnæ res utilitatis sit Poema Homericum. Quanquam de Poetæ hujus utilitate sic obscurè tetigimus, quòd nec propositum est nobis de Homero verba facere. Nam si quis id sibi proposuerit, non multis opus habebit verbis; sed libros proferet, qui sunt

θων πιθανῆς πλάσεως, ἵνα καὶ τούτοις τοῖς φιλομαθέσιν, ὡς καὶ τῶν λοιπῶν εἰδῶν τοῦ λόγου, καθηγήσηται. Ἐκεῖνο δὲ καὶ μάλιστα θαυμαστὸν ἐν τούτοις Ὅμηρος ἔχει, ὅτι καὶ μύθοις μεμεστωμένος, ὅμως οὐ φεύγεται, ἀλλὰ στέργεται· καὶ οἱ μισεῖν αὐτὸν προϊσχόμενοι, οὐκ ὀκνοῦσιν αὐτοῦ ἄλλως ἅπτεσθαι, καὶ [16] ἀποδιοπομποῦντες, αὖθις προσίενται, ὅμοιοι [17] τῷ παροιμιακῷ Σκύθῃ, ὅς, θεωμένων μὲν ἑλλήνων, ἀπέχετο ἵππου εὐγενοῦς ἐκπεπνευκότος· ἀνακάμψας δὲ καθ' ἡσυχίαν τὸ σύνηθες ἔπραττεν, ἀπολαύων, οὗ ἤθελεν. Εἰ δὲ καὶ οἱ χρώμενοι δηλοῦσι τὸ χρηστὸν πρᾶγμα, οὐκ ἔχει ἀντιλογίαν, πολύχρηστον εἶναι χρῆμα τὴν Ὁμηρικὴν ποίησιν. Ἀλλ' ὅτι μὲν εὔχρηστος ὁ ποιητής, οὕτως ἀμυδρῶς δηλοῦντες ὑπεκρουσάμεθα, ὅτι μὴ δὲ πρόθεσις ἡμῖν, Ὁμήρου ὑπερλαλεῖν. Ὡς εἴγε τις ἐν σκοπῷ θήσει τὸ πρᾶγμα, οὐ πολλῶν δεήσεται λόγων· ἀλλὰ προβαλεῖται τὰς βί-

βλους ἐκ προχείρου, ὧν αἱ μὲν, εἰς αὐτὸν, αἱ δὲ, ἐξ αὐτοῦ συνεκροτήθησαν· καὶ ἀνύσει ῥᾳδίως τὸ προτεθέν.

II. Λείπεται δὴ ἡμῖν, ἐπεὶ ἀποπέφανται μὴ γελοῖος εἶναι πάντη ὁ ποιησάμενος περὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν, γενέσθαι, οὗ ἐσκοπήσαμεν, καὶ μὴ ἐπὶ πλέον συνιστᾶν τὸν ποιητήν· ἀλλὰ ποιεῖν, ὅπερ εἰς αὐτὸν, οὐ πρὸς μεγιστάνων τινῶν ἐπετάχθημεν, ὁποῖά τινα πλάττονται οἱ κομψοί· ἀλλὰ πρὸς φίλων ὁμιλητῶν, οἷς ὑπόληψίς τις χρηστὴ περὶ ἡμῶν ὑπέστιν. Ἦν δὲ τὸ φιλικὸν θέλημα, διὰ τῆς Ἰλιάδος ἐλθεῖν, καὶ ἐκπορίσασθαι τὰ χρήσιμα τῷ διεξοδεύοντι. οὐ λέγω, ἀνδρὶ λογίῳ [ἐκεῖνον γὰρ, οὐδὲν ἂν τῶν τοιούτων εἰκὸς λανθάνειν] ἀλλὰ νέῳ ἄρτι μανθάνοντι· τυχὸν δὲ καὶ μαθόντι μὲν, δεομένῳ δὲ ἀναμνήσεως. Καὶ δὴ γίνεται τοῦτο· καὶ τὰ χρήσιμα, κατὰ ἀκολουθίαν, εὐσυνθέτως ἐκλέγονται· οὐχ ὥστε μέντοι τὰ πάντων ἐνταῦθα εἶναι τῶν ποιη-

ad manus, quorum alii in eum ipſum, alii ex eo ſunt compoſiti: atque id, quod ſibi propoſuerit, facilè perficiet.

II. Supereſt ergo nobis, ut, poſtquam non deridendum prorſus eum eſſe demonſtravimus, qui ad Homeri carmen ſe conferat, ad id, quod faciendum ſuſcepimus, aggrediamur; neque fusiùs commendandum Poetam cenſeamus: ſed faciamus, quod in ipſum, non a principibus quibuſdam viris juſſi ſumus, ut ſcituli comminiſci ſolent: ſed a benevolis auditoribus, quibus bona aliqua de nobis ineſt exiſtimatio. Fuit autem commune amicorum conſilium, ut enarraremus Iliadem, quæque utilia ſunt, percurrenti cuique ſuggeremus. non dico, homini erudito (illum enim nihil forſan latere videtur iſtarum rerum) ſed nuper diſcenti adoleſcentulo: immo & ei forſitan, qui, etſi didicerit, indiget tamen earundem rerum commemoratione. Jam verò id eſt, quod in hoc opere præſtamus: & utilia, ordine quodam, peraccommodè ſeliguntur, non ut tamen omnia hìc ſint illorum omni-

σα-

um, qui in Poetam hunc operam suam contulerunt [id enim vani cujusdam esset & supervacanei laboris, qui nec facilius expediretur] sed ut addiscendi cupidus, ordine, suis quæque locis, inveniat, quæ ad rem facere videntur. Cujusmodi sunt, sententiæ perquam utiles ei, qui solutam in scribendo orationem adhibet, & oratorio vult more res opportunè complecti, atque ambitu quodam involvere: ratio, & via rerum explicandarum, unde non modò fructum capit, siquis imitari velit; verùm etiam Poetam ipsum ob egregiam singularẽque ejus artem admiratur: voces, majori illæ quidem ex parte, consentaneæ, & veluti affines pedestri sermoni; sed & frequenter duræ, asperæque, & poeticæ, quas nisi ab etymo & notatione ipsà unus quispiam explicet, non facilè intelligetur locus, qui excerptus fuerit: gnomæ, seu graviter, & acutè dicta, quibus item Homericum carmen sæpe assurgit & exornatur: historiæ, quibus non modò ex præscriptà a se regulà utitur Poeta; sed alicubi etiam fusiùs, veluti ex iis, quæ rerum gestarum monumentis alii prodiderunt. Ad

σαμένων εἰς τὸν Ποιητὴν (τοῦτο γὰρ, ϗ μόχθος μάταιος ϗ περιττὸς καὶ οὐδὲ ῥᾷον ἀνύσιμος) ἀλλ᾽ ὥς τε τὸν γινώσκειν ἐθέλοντα, εὑρίσκειν, κατὰ τόπον, εὐτάκτως τὰ μὴ παρέλκοντα. οἷον, ἐννοίας εὐχρήστους τῷ καταλογάδην γράφοντι, ϗ βουλομένῳ ῥητορικὰς ποιεῖν εὐκαίρως περιπλοκὰς μεθόδους, ἐξ ὧν ϗ ὠφελεῖταί τις, μιμεῖσθαι θέλων, καὶ τῆς εὐτεχνίας θαυμάζει τὸν Ποιητήν· λέξεις, τὰς πλείους μὲν, ὡς πεζῷ λόγῳ προσηκούσας, πολλάκις δὲ ϗ σκληρὰς ϗ τραχείας καὶ ποιητικὰς, ἃς εἰ μὴ ἀναπτύξει τις ἐτυμολογικώτερον, οὐκ εὔγνωστον ἔσται τὸ χωρίον, ὃ παρεκβέβληται· γνώμας, αἷς καὶ αὐταῖς πολλαχοῦ ἡ Ὁμηρικὴ σεμνύνεται ποίησις· ἱστορίας, οὐ μόνον, αἷς ὁ ποιητὴς χρᾶται κατὰ κανόνα οἰκεῖον, ἀλλ᾽ ἔστιν ὅπου ϗ πλατύτερον, ὡς ἐξ ὧν ἱστόρησαν ἕτεροι· ἔτι

δὲ μύθους, τοὺς μὲν ἀκράτους καὶ ἀθεραπεύτους, καὶ κατὰ μόνον θεωρουμένους τὸ προφερόμενον, τοὺς δὲ, καὶ μετὰ θεραπείας ἀλληγορικῆς, εἴτε καὶ ἀναγωγικῆς· καὶ ἕτερα μυρία καλὰ, εἰς βίον χρήσιμα· καὶ ταῦτα, οὐ μόνον συντόμως, ἀλλὰ καὶ ποικίλως. Ὥστε εἴ τις ἀφθονήτως τὸ πᾶν διελθὼν τοῦτο πόνημα, εἴποι ἐπιεικέστερον, ὡς οὐκ ἀνωφελὲς πάντη ἐστὶ τὸ ἐγχείρημα, οἶμαι, οὐ ψεύσεται. Νέων γὰρ ἀγωγὴ, καὶ διατριβὴ ἀναγνώσεως, συντελοῦσα εἰς τὴν Ὁμηρικὴν Ἰλιάδα, καλὴ ἂν καὶ αὕτη γένοιτο, εἴτε καταμόνας τις ἀπολαβὼν τὸ παρὸν ἔργον, αὐτὸ καθ' αὑτὸ θεωροίη, εἴτε καὶ τὴν Ἰλιάδα χειριζόμενος, σκέπτεσθαι τὴν ἐργασίαν ταύτην βούλεται, εἴ τι που ἐν χρῷ ἐκείνης παρέπτεται. Πρὸς δὲ τοῖς ἄλλοις, οὐδὲ ἐκτέταται τὸ προκείμενον ἔργον εἰς ἓν ὕφος καὶ σῶμα, κατὰ συνέχειαν, ἀδιάστατον, ἵνα τῷ ἀδιακόπῳ ἀποκναίῃ τὸν ἐντυγχάνον-

hæc fabulæ, tum simplices atque incultæ, quæque externo tantùm cortice æstimantur, tum etiam excultæ allegoricà aliquà explicatione, sive etiam anagogicà, quæ ad remotissimos eæ sensus, atque altissimos reducuntur. denique innumera alia, ad vitæ usum præclarè accommodata. Atque hæc non concisè solùm, verùm etiam variè. Quare, siquis, toto hoc labore citra invidiam percurso, benigniùs pronunciet, non inutilem prorsus esse conatum nostrum, ille, opinor, minimè mentietur. Nam hæc quoque adolescentulis apposita potest esse institutio, & exercitatio legendi, per quam in Homeri Iliadem introducantur, sive seorsum quis acceptum præsens opus, ipsum per se videat, sive etiam, dum manu versat Iliadem, inspicere hos velit Commentarios, siquid in illà fortassis, cute tenus, perperam attigerit. Accedit ad alia, quòd ipsum hoc opus non in unum contextum, sive in unum continuum corpus, protractum est atque explicatum, adeo ut perpetuà lectionis serie lectorem ob-

τα

tundat ; neque is locum facilè inveniat, in quo diversetur : sed singula, quæ opus sunt, per se separatim sunt posita, unoque ex iis absoluto, veluti de integro, fit ad aliud transitus. Atque ita, qui perlegit hunc librum, frequenter veluti diversatur, ac quiescit. Cujusmodi etiam instituto usi sumus in iis Commentariis, quos tum in Dionysium de Situ Orbis scripsimus, tum in Odysseam. Nam & Commentarii illi simili ratione digesti sunt a nobis, & concinnati, quum, quidquid ex usu esse videbatur, veluti in delectu, bene composito ordine excerpserimus, & non eos ipsos Commentarios longiorem fusioremque enarrationem esse voluerimus : nequis scilicet rem ipsam parvi penderet, nihilque nos novi molitos esse cavillaretur. Quandoquidem etiam nunc hujuscemodi fortassis est futurus, qui non nimis ex æquo, & bono res æstimet : isque ipse ratus, quæ apud alios præclarè sunt dicta, ea se huc congesta esse reperturum ; nihil sacri, ut habet adagium, id esse operis affirmabit. Verumtamen quisquis hic est, iniquè se judicare

ται, καὶ δυσεύρετον ἔχῃ τὸ κατάλυμα· ἀλλ' ἕκαστον τῶν χρησίμων, καθ' αὑτὸ ἰδίᾳ κεῖται· καὶ περατωθέντος αὐτοῦ, μετάβασις, ὡς ἐξ ὑπαρχῆς, ἐπὶ ἕτερον γίνεται. καὶ οὕτως ὁ διὰ τοῦ συγγράμματος τούτου ἐρχόμενος, συχνὰ οἷον καταλύων ἀναπαύεται. Ὁποῖόν τι καὶ ἐν τοῖς εἰς τὴν Περιήγησιν ἡμῖν γέγονε, [18] καὶ εἰς τὴν Ὀδύσσειαν δέ. Καὶ ἐκεῖ γὰρ ὁμοίως τὸ ἔργον μεθώδευται, παρεκβαλοῦσι τὰ εὔχρηστα, ὡς ἐν ἐκλογῇ, κατὰ ἀκολουθίαν εὐσύνθετον, οὐ μὴν πλατεῖαν ποιησαμένοις αὐτὸ τοῦτο ἐξήγησιν· ἵνα μή τις [19] ἐκφλυαρίζων τὸ πρᾶγμα, μυκτηρίσῃ, μηδὲν ἡμᾶς καινότερον πραγματεύσασθαι. Ὥσπερ καὶ νῦν ὁ μὴ πάνυ εὐγνώμων, τοιοῦτος ἴσως ἔσται· καὶ θαρρῶν τὰ παρ' ἄλλοις ἀριζήλως εἰρημένα ἐξευρίσκειν καὶ ἐνταῦθα κείμενα, [20] οὐδὲν ἱερὸν εἶναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, τὸ παρὸν ἔργον ἐρεῖ. Ἀλλ' ὁ τοιοῦτος, ἴστω κακῶς κρίνων,

ἵνα

ἵνα μή τι πλεῖον ἐροῦμεν, συνιστῶντες ἑαυτοὺς, [21] κατὰ τὸν παροιμιακὸν Ἀστυδάμαντα. Εἰ δὲ καὶ τυχὸν ὁ οὕτω δοξάζων, ὀρθῶς ἔκρινεν· ἀλλ' ἡμεῖς καὶ οὕτως ἐπιβαλοῦμεν τῷ ἔργῳ, ἵνα, εἰ μὴ ἑτέροις, ἀλλὰ τοῖς γοῦν ἀγγαρεύσασιν ἀρέσωμεν, ἀγογγύστως τὸ ἐπιτεθὲν φορτίον ἄραντες. Ὅσα μὲν οὖν ἐκ προθύρων οἱ σοφοὶ τῆς Ἰλιάδος προγράφουσιν, ἐξ ἐκείνων ἀναλεκτέον· ὅτι μὴ δὲ πρόκειται ἡμῖν, ἀμαυρῶσαι τὰ τῶν ἄλλων, καὶ κενὴν δόξαν θηράσασθαι, καὶ σκῶμμα τοῦ πάντη τὰ ἀλλότρια μεταγράφειν, ἐφελκύσασθαι. Ἐκεῖνα δὲ καὶ μόνα πάνυ συντόμως προγραπτέον ἐνταῦθα· ὅτι τὴν Ὁμήρου ποίησιν, οἱ μὲν, εἰς τὸ παντελὲς ἐσκίασαν, καὶ ὡς οἷον αἰσχυνόμενοι, ἐὰν ὁ ποιητὴς ἀνθρωπίνως λαλῇ, ἀνήγαγον πάντα, καὶ εἰς ἀλληγορίαν μετέθεντο· καὶ οὐ μόνον, εἴ τι που μυθικὸν, ἀλλὰ καὶ τὰ ὁμολογουμένως ἱστορούμενα, τὸν Ἀγα-

ſciat, ne quid amplius, more Aſtydamantis illius, qui in proverbium abiit, in noſtram ipſorum commendationem dicamus. Quin etiam, ut rectè forſan judicaret, qui ita ſentit: attamen vel ſic nihilominùs accedemus ad opus, ut, quum impoſitam nobis ſarcinam ſine querimonià ſuſtulerimus, ſi non aliis, iis certè placeamus, qui nos adegerunt. Quæcumque igitur docti viri e veſtibulo in Iliadem præfantur, ſunt ea quidem ex illis colligenda, quòd minimè ſit nobis propoſitum, labores aliorum obſcurare, aut vanam gloriam conſectari, turpemque illam notam contrahere, quaſi aliorum prorſus ſcrinia compilemus. Illa verò, eaque tantùm, quæ hoc loci perquam breviter præmonenda duximus, ſunt hujuſmodi. Nam Homeri carmen alii omni ex parte obumbrarunt; &, quaſi eos puderet, ſi Poeta more loqueretur humano, reduxerunt omnia, tranſtuleruntque ad allegoriam: neque ſolùm, ſiquid uſpiam fabuloſum eſt; verùm etiam ea, quæ in confeſso eſt, verè, atque ex hiſtoriæ fide narrari, Aga-

με-

memnonem, Achillem, Nestorem, Ulyssem, reliquos Heroas. adeo ut Poeta nobiscum in somnio versari videatur. Alii contra, toto ab illis cœlo diversi, alas Homero evellerunt, neque eum prorsus sublimem ferri permiserunt: sed in externâ duntaxat specie occupati, dejectoque, atque exturbato Poetâ de altissimo illo fastigio sensuum anagogicorum, nihil omnino apud eum allegoricè dici voluerunt: sed ea, quæ narrantur, sic esse, ut narrantur, concesserunt. Atque id quidem rectè. Tum & fabulas verti prohibuerunt in allegoriam. E quorum numero, ut postea ostendetur, Aristarchus, non admodum sapienter id præscripsit. Alii verò, meliori ii quidem judicio, quemadmodum manere in se ipsis sinunt historias, sic & res fabulosas primùm quidem ita se habere statuunt, ut feruntur, & fictionem ipsam fabularum considerant, fingendique probabilitatem, ex qua habent fabulæ, ut in iis imago quædam expressa sit veritatis. Deinde quia sunt suapte ipsæ natu-

μέμνονα, τὸν Ἀχιλλέα, τὸν Νέστορα, τὸν Ὀδυσσέα, τοὺς λοιποὺς ἥρωας· ὡς δοκεῖν τὸν ποιητὴν ἐν ὀνείροις ἡμῖν ὁμιλεῖν. Ἕτεροι δὲ, ἀπεναντίας πάντη ἐκείνοις ἐλθόντες, ἐξέσπασαν τὰ Ὁμηρικὰ πτερὰ, καὶ οὐκ ἀφῆκαν αὐτὸν πτερίσσεσθαι ὅλως μετέωρον· ἀλλὰ τοῦ φαινομένου γενόμενοι μόνου, καὶ κατασπάσαντες τοῦ ἀναγωγικοῦ ὕψους τὸν ποιητὴν, οὐδὲν οὐδ᾽ ὅλως ἀφῆκαν ἀλληγορεῖσθαι παρ᾽ αὐτῷ· ἀλλὰ καὶ τὰς ἱστορίας ἀφῆκαν οὕτως ἔχειν, καλῶς γε τοῦτο ποιοῦντες· καὶ τοὺς μύθους δὲ ἀπαραποιήτους εἰς ἀλληγορίαν εἶναι προσέταξαν. ἐν οἷς, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς δηλωθήσεται, καὶ ὁ Ἀρίσταρχος, οὐ πάνυ καλῶς τοῦτο νομοθετήσας. Οἱ δὲ ἀκριβέστεροι, ὥσπερ τὰς ἱστορίας ἐφ᾽ ἑαυτῶν μένειν ἀφῆκαν, οὕτω καὶ τοὺς μύθους, τὰ πρῶτα μὲν τίθενται οὕτως ἔχειν, ὡς λέγονται, καὶ ἐπισκέπτονται τὴν πλάσιν αὐτῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῇ πιθανότητα, δι᾽ ἧς ἐν μύθοις ἀλήθειά τις εἰκονίζεται. εἶτα διὰ τὸ εἶναι αὐτοῖς φύ-

σι ψευδές, ἀφέντες τὸ σωματικὸν εἰκόνισμα, ἀνατρέχουσιν εἰς τὴν ἐξ ἀλληγορίας θεραπείαν τοῦ μύθου, ἢ φυσικῶς ἐξετάζοντες, ὡς ἄλλοι δηλοῦσι πλατύτερον, ἢ κατὰ ἦθος· [22] πολλαχοῦ δὲ καὶ ἱστορικῶς. Οὐκ ὀλίγοι γὰρ μῦθοι καὶ πρὸς ἱστορίαν [23] ἐκθεραπεύονται· ὡς ἀληθῶς μὲν γενομένου τοῦδέ τινος πράγματος ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς βίῳ· τοῦ δὲ μύθου τὸ ἀληθὲς ἐκβιαζομένου πρὸς τὸ τερατωδέστερον. Ταύτης τῆς ὁδοῦ ἐχομένη καὶ ἡ παροῦσα πραγματεία, οὐ δὲ τοὺς μύθους ἀνεπισκέπτους εἰς τὸ πᾶν ἀφήσει· ἀλλὰ περιεργάσεται αὐτοὺς, ἀκολούθως τοῖς παλαιοῖς. Οὐ χρὴ δὲ ἀναπεσεῖν οὐδὲ νῦν τὸν ἀκούσαντα, τοῖς παλαιοῖς ἡμᾶς καὶ ἐν τούτοις ἀκολουθεῖν, ὡς δυνατὸν ὂν καὶ αὐτὸν ἐκεῖθεν τὰ τοιαῦτα ἐρανίσασθαι. Πρῶτον μὲν γὰρ, καθάπερ τοῖς μαγειρεύουσι χάρις, οὐχ ὅτι τὰ μὴ ὄντα δαιτρεύουσιν, ἀλλ' ὅτι τὰ ἐπιπόνως ἔχοντα τοῦ συναγαγεῖν, αὐτοὶ ἀγείραντες εἰς ἕν, παρέθεντο· οὕτω καὶ ἡμῖν ἔσται τι

rà mendaces, imagine corporum dimiſsà, ad fabulam allegoricè excolendam ſe convertunt, quatenus vel eam phyſicè expendunt, ut fuſiùs alii declarant, vel ethicè: immo & in pleriſque locis hiſtoricè. Non paucæ enim fabularum, ad hiſtoriam quoque excutiuntur: perinde quaſi verè quidem in noſtrà vità res quæpiam contigerit; ſed fabula tamen id, quod verum eſt, ad prodigium traduxerit. Atque huic nos viæ in his Commentariis inſiſtemus, ut non in univerſum fabulas ſine inſpectione dimittamus: ſed eas, poſt veterum veſtigia, curioſiùs diſquiramus. Neque verò concidere nunc animo eum oportet, qui in iſto quoque explicandi genere veteribus nos adhærere, eorumque premere veſtigia intelligit, quaſi & ipſe ſcilicet hujuſcemodi omnia ex illis colligere potuerit. Nam primùm quidem, quemadmodum coquis habenda eſt gratia, non quòd eſcas diſtribuant, quæ nullæ antea extiterint; ſed quia cibos collectu difficiles, ipſi in unum coactos apponant: ſic & nos gratiam aliquam

χάριτος,

promerebimur, quòd sine labore habeat quisque ex multis aggestum auctoribus, quod perquirit. Deinde, etsi arrogantiam atque ostentationem sapiat quadamtenus oratio, nescio, an qui tardiores sunt & pigriores, nancisci facilè possint eos auctores, ex quibus huc pleraque corrogata sunt, & collecta. An verò aliquid præterea variis in locis ex ingenio nostro adjecerimus, res ipsa, ut ajunt, demonstrabit.

III. Quoniam verò in eo toti sumus, ut Poetam magnum accuratissimè illustremus, id ipsum Poetæ nomen discutiendum est: illudque animadvertendum, quòd, sicuti ἔπος generatim quidem verbum est, vel sermo, ut cum dicuntur ἔπεα πτερόεντα, *verba alata*; speciatim verò ἔπος, oratio est metrica, seu numeris vincta: ita, etsi ποιεῖν universè sit facere, qua in significatione sæpe hoc verbo utitur Poeta; restringitur tamen vox ista ad eos, qui carmina, & præsertim heroica, contexunt, ex quadam excellentià, quia hoc eorum opus excellit, nescio qua divinitatis notà & rationis. Unde etiam aliqui conjunctè, idest, compositâ vo-

χάριτος, ὅτι πόνου δίχα, οἱ περιτυχόντες ἔχουσι πολλαχόθεν ἐπισυναχθὲν τὸ ζητούμενον. Εἶτα, εἰ καὶ ἀγέρωχόν τι καὶ γαῦρον ὁ λόγος ἔχει, οὐκ οἶδα, εἰ μή τινες τῶν ὑπονωθρῶν, μόλις περιτύχοιεν ἐκείνοις, ἐξ ὧν πολλὰ τῶν ἐνταῦθα ἠράνισται. Εἰ δέ τι ἐν διαφόροις καὶ προσεπινενόηται, αὐτό, φασι, δείξει.

III. Ἐπεὶ δὲ Ποιητὴν μέγαν περιεργαζόμεθα, σκοπητέον τὸ τοιοῦτον ὄνομα· καὶ σημειωτέον, ὅτι καθάπερ ἔπος ἁπλῶς μὲν, ὁ λόγος, ὡς τὸ, [24] ἔπεα πτερόεντα· ἰδίως, ἔπος ὁ ἔμμετρος λόγος· οὕτω καὶ ποιεῖν, ὅλως μὲν, τὸ πράττειν· καὶ ἔστιν ἡ χρῆσις καὶ παρὰ τῷ Ποιητῇ πολλαχοῦ· [25] ἰδιάζεται δὲ ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τῶν ῥαψῳδούντων, κατά τι ἐξαίρετον, διὰ τὸ τῆς ἐν αὐτοῖς πράξεως ταύτης ἐξέχον, ὡς θεῖον καὶ ἔλλογον. Ὅθεν καὶ συνθέμενοί τινες τὸ ἐμ-

K με-

μέτρον ἔπος, καὶ τὸ ῥαψωδικῶς ποιεῖν, ὠνόμασαν συνθέτως ἐποποιούς, τοὺς ἐν ἁπλότητι λεγομένους καὶ Ποιητάς· μάλιστα δὲ τοὺς ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ ἡρωΐζοντας. ὧν κατάρξαι λέγεταί τις [26] Φημονόη, γυνὴ προφῆτις Ἀπόλλωνος, ἐφευροῦσα, φασιν, αὐτὴ πρώτη τὸ ἔπος, κληθὲν οὕτω, κατὰ τοὺς παλαιούς, οὐ μόνον καθ' ὑπεροχὴν, δι' ἣν τὸ ἑξάμετρον ἰδιώσατο τὴν κοινὴν προσηγορίαν τοῦ λόγου· ἀλλὰ καὶ διότι ἕπονται, φασι, τὰ πράγματα τοῖς χρησμοῖς. Εἰ δὲ ἡ τοιαύτη ἐτυμολογία δασύνεσθαι ἀπαιτεῖ τὸ ἔπος· ἀλλ' ἔστι συνηγορῆσαι καὶ τῇ ψιλώσει τούτου πιθανῶς, εἴ τις βουληθείη. Τίς δὲ ἡ Ἐποποιΐα, καὶ ὅτι ποιήσεως εἶδος καὶ αὐτὴ, ὡς καὶ ἡ Τραγῳδία, καὶ ἡ Κωμῳδία, καὶ [27] ἡ τῶν Κυκλίων ποιημάτων, καὶ ἡ Λυρικὴ καὶ ἕτεραι, ζητητέον ἐν ἄλλοις. καὶ οὕτω μὲν κατέστη τὸ ποιεῖν, ἐξ οὗ καὶ ὁ Ποιητής, καὶ ἡ Ποίησις. Καὶ δῆλον, ὅτι

ce ex ἔπος, quod est carmen, & ex ποιεῖν, quod est Poeticè scribere, vel carmina facere, aut versus, appellarunt ἐποποιούς, *versificatores*, quos simplici voce dicimus Poetas, maximèque eos, qui, hexametro versu heroicum condunt carmen: quibus nescio quæ femina exemplum præbuisse fertur, nomine Phemonoë, vates Apollinis. Ea dicitur prima τὸ ἔπος, idest, hexametrum carmen, adinvenisse, sic, juxta veteres, vocatum, non solùm ab excellentià, quà hexametrum communem appellationem sermonis sibi vindicavit; verum etiam quia res oraculum, ut ajunt, sequuntur, quod est græcè, ἕπονται. Sin ratio ista originis exposcit, ut aspero spiritu notetur τὸ ἔπος: at licet etiam, siquis voluerit, tenuem vocis hujus spiritum verisimili argumento defendere. Quid verò sit Epopœja, & quomodo ea Poeticæ artis genere comprehendatur, sicuti etiam Tragœdia, & Comœdia, & Poesis Cyclica, & Lyrica, & cetera alia id genus poemata, alibi quærendum. Atque ita quidem usu receptum est τὸ ποιεῖν, *versus facere*, ex quo Poeta, & Poesis. Itemque compertum est &

exploratum, ποιεῖν, apud veteres, ut ex Comico etiam satis apparet, idem esse, ac, Poeticè, videlicet metricè, canere, & scribere, ut cum ait: ἐποίησάς ποτε, ὦ Εὐριπίδη. *fecisti aliquando versum, o Euripides*. perinde quasi dicat, ἔγραψας ἐν τῇ Ποιήσει σου. *scripsisti in Poemate tuo, seu dramate*. Itaque & poeta est, qui sic scribit, qualiscunque demum sit, sive Comicus, sive quicunque alius: sed eminenti quadam, & eximià notà, Homerus. Quemadmodum enim sicui dicatur Orator, Demosthenes continuò, ob insignem ejus præstantiam, intelligitur; &, si audiamus Lyricum, venit nobis in mentem Pindari: ita & cum Poetam quis audit, prolatum cum articulo, scilicet τὸν Ποιητὴν, intelligit Homerum. Cur? quòd ei cumulatissimè inest, quidquid unquam est poeticæ facultatis, & quia pater ipse est omnium Poetarum, quibus auctor & dux extitit, ut id essent, quod dicuntur. Atque hæc quidem ita, ne longiùs a scopo aberremus.

IV. Quod ad Homeri genus attinet, neque in eo curiosiùs laborabimus: de quo

ποιεῖν παρὰ τοῖς παλαιοῖς, ὡς καὶ [28] ὁ Κωμικὸς ἐμφαίνει, τὸ ποιητικῶς, ἤγουν ἐμμέτρως, ἀείδειν καὶ γράφειν· ὡς τὸ, ἐποίησάς ποτε, ὦ Εὐριπίδη. ἀντὶ τοῦ, ἔγραψας ἐν τῇ Ποιήσει σου. Καὶ τοίνυν καὶ ποιητὴς, ὁ οὕτω γράφων, ὁποῖος ἂν καὶ εἴη, εἴτε Κωμικὸς, εἴτε ὁστισοῦν ἕτερος· ἐξόχως δὲ, Ὅμηρος. Ὥς γὰρ, εἴ τις εἴπῃ, [29] ὁ Ῥήτωρ, ὁ Δημοσθένης εὐθὺς ὑπερεχόντως ἐνοήθη, κἂν τὸν Λυρικὸν ἀκούσωμεν, [30] εἰς τὸν Πίνδαρον ἀναγόμεθα· οὕτω καὶ τὸν Ποιητὴν ἀκούσας τις μετὰ τοῦ ἄρθρου, [31] τὸν Ὅμηρον ἐνόησε. Διατί; ὅτι ἐν αὐτῷ ἀρετὴ πᾶσα ποιήσεως· καὶ διότι σπερματικῶς [32] ἀρχὴ καὶ καθηγητὴς αὐτὸς πᾶσι γέγονε ποιηταῖς, τοῦ εἶναι, ὅπερ. λέγονται. Καὶ ταῦτα μὲν οὕτως, ἵνα μὴ ἐπὶ πλέον πόῤῥω τοῦ σκοποῦ πλαζώμεθα.

IV. Ὁμήρου δὲ γένος, οὐδ' αὐτὸ περιεργασόμεθα. Εἴρηται

γὰρ πολλοῖς ἑτέροις, ὡς οὐκ ἂν ἡμεῖς κρειττόνως εἴπωμεν· εἰ μὴ ἄρα τοῦτο καὶ μόνον ῥητέον, κατὰ τὸ ἐπιτρέχον, ὅτι [33] ἐπικρύψας ἑαυτὸν ὁ Ποιητὴς, καὶ σιγήσας, ὅστίς ποτε, καὶ ὅθεν ἦν, περιμάχητος μᾶλλον ἐγένετο καὶ [34] πολύπατρις. Ἔστι γὰρ, κατὰ τὴν τῶν ποθούντων ἔφεσιν, καὶ Ἰήτης, καὶ Σμυρναῖος, καὶ Ἀθηναῖος, καὶ Αἰγύπτιος, ἤδη δὲ καὶ Ἰταλός. [35] Ἀμφισβητοῦσι δ' αὐτοῦ καὶ Χῖοι, μαρτύριον προχειριζόμενοι τοὺς καλουμένους Ὁμηρίδας, ὧν καὶ [36] Πίνδαρος μέμνηται. Καὶ ἕτεροι δὲ πολλοὶ Ὁμήρου μεταποιοῦνται σφετεριζόμενοι, καὶ ἀβρυνόμενοι αὐτὸν ἔχειν πολίτην, ἢ ἑτέροις ἀγαθοῖς σεμνύνεσθαι. Ὅτι δὲ καὶ [37] ἕτεροι πρὸ αὐτοῦ ἦσαν Ποιηταὶ, [38] ὧν καὶ Μουσαῖος, ἀκέσεις νόσων συγγραψάμενος· καὶ ὅτι, ὡς καὶ [39] Αἰλιανὸς ἱστορεῖ, μετὰ Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον, Σύαγρος γέγονε ποιητὴς, ὃς

quum plerique alii disputaverint, non est, cur quidquam nos melius allaturos confidamus: nisi forsan illud, idque unum, cursim, atque obiter dicendum videatur, scilicet, quum ipse se Poeta occultaverit, & quis demum, atque unde esset, silentio suppresserit, magis inde magisque factum esse, ut de eo decertarent, pluresque eum sibi civitates assererent. Nam pro illorum, qui ipsum expetunt, votis, & ex Io insulà est, & Smyrnensis, & Atheniensis, & Ægyptius, jam verò & Italus. De eo item contendunt Chii, proferuntque testes Homeridas, quos vocamus, sive de genere, & familià Homeri, quorum etiam meminit Pindarus. Quin & multi alii Homerum sibi vindicant faciuntque suum, perinde quasi magis eo cive glorientur, quàm si omnia alia iis ornamenta accederent. Ceterùm præmonendum, id quod dixisse hactenus sufficiat, alios ante eum Poetas extitisse, ex quibus Musæus, qui curationes morborum conscripserit: item post Orpheum, & Musæum, ut narrat quoque Ælianus, floruisse Syagrum Poetam, qui

προσ-

primus bellum Trojanum cecinit: Homerũ verò carmina veluti spirasse, eàque facilitate exquisitos, aptèque concinnos versus fudisse, ut, quemadmodum prosequitur Herodotus in Vità Homeri, non item alii solutà simplicique oratione uterentur. Rursus ab aliis memoriæ proditum est, plures fuisse Homeros. Eum autem, de quo nunc agimus, alii fusè commemorant, sic esse appellatum, vel ἀπὸ τοῦ μὴ ὁρᾶν, *a non videndo*, quasi scilicet μήορον, *eum, qui non videat, oculis captum, cæcum*, &, transpositis per metathesin litteris, Ὅμηρον, *Homerum*; vel quia Homerus verè fuerit id, quod hæc vox significat, videlicet obses, quales eos intelligimus, qui, pacis & concordiæ causà, loco pignoris, traduntur. Iidemque auctores scribunt, quæ firmandæ paci dantur ὅμηρα, *pignora*, ea sic vocari ab ὁμοῦ, *simul*, & ἀρῶ, quod est compono, vel apto, eo quòd per pignora in concordiam veniant, simulque veluti aptentur, seu concilientur ii, qui inter se diffident ac certant. Cujus quidem vocis exemplum tum apud plerosque alios extat, tum apud Euripidem, cum ait: συλλάβετε ὅμηρον τήνδε. *hanc loco pi-*

πρῶτος τὸν Τρωϊκὸν ᾖσε πόλεμον, καὶ τοῦτο ἐς τοσοῦτον ἠρίοθω· καὶ ὅτι ἔπνεε τὰ ἔπη Ὅμηρος, καὶ οὕτως εἶχε τῆς πελέργου, καὶ ἐμμελοῦς μόρσης; ὡς οὐδὲ τοῦ ἐν ἁπλότητι πεζολογεῖν ἕτεροι, καθὰ καὶ [40] Ἡρόδοτος ἱστορεῖ, ἐν οἷς ἔγραψεν ἐς τὸν Ὅμηρον. Ὡς δὲ καὶ [41] πολλοὶ Ὅμηροι, καὶ αὐτὸ ἱστόρησαν ἕτεροι. Καὶ ὅτι δὲ ὁ νῦν προκείμενος, ἢ [42] ἀπὸ τοῦ μὴ ὁρᾶν ὠνόμασται, ὡς οἱονεὶ μήορος, καὶ, κατὰ μετάθεσιν, Ὅμηρος· ἢ [43] ὡς αὐτὸ τοῦτο γενόμενος Ὅμηρος, ὁποίους τοὺς ἐπὶ εἰρήνῃ διδομένους εἰς ἐνέχυρον οἴδαμεν, καὶ τοῦτο εἰς πλάτος κεῖται παρ' ἄλλοις. οἳ καί φασι, [44] τὰ ἐπὶ εἰρήνῃ ὅμηρα οὕτω λέγεσθαι, [45] παρὰ τὸ ὁμοῦ, καὶ τὸ ἀρῶ τὸ ἁρμόζω. εἰς ὁμόνοιαν γὰρ ἁρμόττονται διὰ τῶν ὁμήρων οἱ διεστῶτες ἀλλήλων, καὶ στασιάζοντες. Χρῆσις δὲ τοιαύτης λέξεως, παρὰ πολλοῖς τε ἄλλοις, καὶ [46] παρ' Εὐριπίδῃ, ἐν τῷ συλλάβετε [47] ὅμηρον τήν-

δε

δεε. Εἰ δὲ καὶ ἕτερα ποιήματά εἰσιν Ὁμήρου, οἷον καὶ [48] ὁ Μαργίτης, καὶ ἡ τῶν μυῶν καὶ βατράχων μάχη, ἄλλοι καὶ αὐτὸ ἐξήτασαν πρὸς ἀκρίβειαν· καὶ [49] ἐὰν ἡ Ἰλιὰς τῆς Ὀδυσσείας προπεποίηται, ἢ καὶ ἀνάπαλιν. Εἰ δὲ καὶ ἤρισεν Ὅμηρος Ἡσιόδῳ τῷ Ἀσκραίῳ, καὶ ἡττήθη, ὅπερ ὄκνος τοῖς Ὁμηρίδαις καὶ λέγειν, [50] ζητητέον ἐν τοῖς εἰς τοῦτο γράψασιν, ἐν οἷς ἔκκειται καὶ τὰ ῥητὰ τῆς ἔριδος. ὡσαύτως καὶ [51] ἐὰν ἐπὶ τῶν Τρωϊκῶν ἐτύγχανεν ὤν, ἢ μᾶλλον μετὰ τὰ Τρωϊκά. Ταῦτα γὰρ πάντα εἰ ἐπιμελῶς [52] φιλοκρινήσει τις, [53] βίβλος ἱστορικὴ πολυλόγος συντεθήσεται. Ἡμῖν δὲ, οὐ τοῦτο σκοπός· ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον, ὃ καὶ προεξεθέμεθα. Ἔτι κἀκεῖνο προλαβεῖν χρὴ ἐχόμενον ἤδη καὶ προκλητικὸν τοῦ Παρεκβολικοῦ· ὅτι [54] ἀνδρώδης μὲν ἡ Ἰλιάς, καὶ σεμνοτέρα, καὶ ὕψος ἔχουσα, ἐπεὶ καὶ ἡρωϊκωτέρα· ἠθικὴ δὲ ἡ Ὀδύσσεια, [55] ὡς ἐκεῖ σαφέστερον γέγραπται· καὶ

gnoris, sive obsidem capite. An verò præterea alia sint Poemata Homeri, ut Margites, & Murium ac Ranarum Pugna, alii curiosè disquisiverunt: itemque, prior ne scripta fuerit Ilias, an Odyssea. Utrum etiam Homerus cum Hesiodo Ascræo contenderit, superatusque ab eo fuerit, quod vel referre pudet Homeridas, quærendum est apud eos, qui rem hanc litteris consignarunt, apud quos ipsa quoque exposita sunt carmina, quibus inter se Poetæ decertarunt. Ac similiter, utrum Trojanis temporibus vixerit, an potiùs post tempora Trojana. Hæc enim omnia siquis diligenter studeat per suas classes ad trutinam revocare, vasta historia contexetur. Atqui minimè id nobis propositum, sed illud potiùs, quod superiùs expositum est. Ad hæc, præcipere animo oportet, quod proximè jam sequitur, nosque ad excerpendos hos Commentarios allicit, videlicet virilem quidem esse, seu fortibus dignam viris, Iliadem, augustioremque, & sublimem, utpote verè heroicam; Odysseam verò accommodatam esse ad humanos mores, ut illic perspicuè notavimus: item

ὅτι

Homerici vim ingenii non tantùm in Iliade intelligi posse, quantùm in Odyssea. In hac enim, scilicet in Iliade, multa quidem ad orationis copiam argumenta: in illâ verò maximè jejunus, angustæque omnino materiæ, scopus scriptionis. Et tamen valuit Poëta ad illud quoque carmen, tantum ac tale, adornandum, qua in re specimen juxta dedit magnæ opulentiæ diligentiæque suæ tum in rebus multi variique argumenti, tum in iis, quæ non essent hujusmodi, describendis. Unde illud quidem Carmen ab unâ personâ, idest, ab Ulysse, nuncupatum voluit, ut sic tenuem scribendi materiem subdoceret, quasi ea tantùm videlicèt dicturus, quæ ad Ulyssem pertinebant: etsi alioqui multa alia ex ingenio suo adtexuerit. At verò ipsum hoc Opus, quasi uno plura nomine comprehenderet, vocavit Iliadem, non ab uno homine, ut si Achilleæ, sive Achilleidos, aut simile aliud ei nomen fecisset; neque propter Ilienses ipsos, quasi nimirum Iliensium tantùm res adversas complectatur: sed quia continet res gestas apud

ὅτι τὴν Ὁμηρικὴν ἰσχὺν οὐ τοσοῦτον ἐν τῇ Ἰλιάδι ἔστι καταμαθεῖν, ὅσον ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ. Ἐνταῦθα μὲν γὰρ πολλαὶ ἀφορμαὶ εἰς ῥητορείας δαψίλειαν· ἐκεῖ δὲ, γλισχρότατος καὶ πάντη ὀλιγόϋλος, ὁ τοῦ βιβλίου σκοπός. καὶ ὅμως ἐξήρκεσεν ὁ ποιητὴς βίβλον καὶ ἐκείνην τηλικήνδε καὶ τοιαύτην διασκευάσασθαι, παραδεικνύων, ὅτι παμπλούσιός ἐστι καὶ πάνυ φιλότιμος, ἔν τε πολυαφόρμοις καὶ ἐν μὴ τοιαύταις γραφαῖς. ὅθεν ἐκεῖνο μὲν τὸ βιβλίον, ἀπὸ ἑνὸς προσώπου τοῦ Ὀδυσσέως ὠνόμασεν, ὑποδηλῶν τὸ ὀλίγον τῆς τοῦ γράφειν ὕλης, ὡς μόνα δῆθεν λέξων τὰ κατὰ τὸν Ὀδυσσέα· εἰ καὶ ἄλλως κατὰ μέθοδον οἰκείαν, καὶ ἕτερα πολλὰ παρενέπλεξε. Ταύτην δὲ τὴν βίβλον, συλληπτικώτερον Ἰλιάδα ἐκάλεσε, καὶ οὔτε ἀπὸ ἑνός τινος, ὡς ἐὰν Ἀχίλλεια, ἤ τι τοιοῦτον, ἐκαλεῖτο, οὔτε διὰ τοὺς Ἰλιεῖς, ὡς δηλαδὴ τὰ τῶν Ἰλιέων μόνων περιέχουσαν κακά· ἀλλ' ὅτι περιέχει τὰ κατὰ τὴν

Ἴλιον

Ἴλιον συμπεσόντα, ἤτοι τὰ Τρωϊκά. Εἰ δέ τινες ἐπαγωνίζονται δόξαι, ὅτι ὡς οἷον ἀπὸ προσώπου παθόντος, τοῦ τῶν Ἰλιέων δηλαδὴ λαοῦ, ἡ Ποίησις αὕτη [56] ὠνόμασται Ἰλιάς· ὅθεν κερδήσαντες καὶ οἱ μετὰ τὸν Ὅμηρον Τραγικοὶ καὶ ἕτεροι, ἐκ προσώπων παθόντων οἰκεῖα πολλάκις ἐπιγράφουσι Δράματα, οἱ τοιοῦτοι αὐτόθεν ἐλέγχονται, ἄλλως τε, καὶ ὅτι οὐχ ἁπλῶς ἐνταῦθα ὁ Ποιητὴς [57] περὶ τῶν Ἰλιέων λέγει, τί ἔπαθον· ἀλλὰ καὶ τοῦτο μέν. Σκοπὸς δὲ αὐτῷ τοῦ βιβλίου, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν προοιμίῳ ἐκτίθεται, εἰπεῖν, ὅσα κακὰ ἐν τῷ καιρῷ τῆς τοῦ Ἀχιλλέως μήνιδος, καὶ οἱ Τρῶες, καὶ οἱ Ἕλληνες ἔπαθον, καὶ μάλιστα οἱ Ἕλληνες. Διὸ καὶ οὐλομένην εἰπὼν τὴν τοῦ Ἀχιλλέως μῆνιν, ἐπάγει· ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε. μονονουχὶ λέγων, ὀλεθρίαν γενέσθαι τὴν τοιαύτην μῆνιν, διότι κακὰ ἐξ αὐτῆς οἱ Ἀχαιοὶ ἔπαθον κατά τινα εἱμαρμένην, ὡς ἐν

Ilium, sive res Trojanas. Sin aliqui ostendere contendant, veluti a personâ, cui res adversæ contigerint, a populo nimirum Iliensi, denominatum hoc Carmen esse Iliadem, unde id commodi capiunt Tragici aliique post Homerum Poetæ, ut a malè affectis, sive calamitosis personis sua frequenter Dramata inscribant: hi isthinc tum aliis de caussis refelluntur, tum quia hoc in Opere non purè de Iliensibus narrat Poeta, quid iis malorum acciderit: quamquam & id quidem narrat. Verùm carminis ei scopus, & argumentum est, ut ipse quoque in Proœmio exponit, dicere, quas calamitates, & clades, toto eo tempore, quo Achillis ira perduravit, tum Trojani, tum Græci acceperint, & maximè Græci. Ideoque, quum Achillis iram, οὐλομένην, *exitialem, ac perniciosam*, vocasset; adjicit: ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε. *quæ innumeros Achivis dolores intulit*. Quasi scilicet dicat, perniciosam istam fuisse iram, propter eas calamitates, quæ inde Achivis, nescio qua vi fatorum, inciderunt, ut dein-

τοῖς

ceps conſtabit. Et hac quidem de cauſsà Operi huic nomen eſt Iliadi. Quamquam vox iſta, poſſeſſivum nomen eſſe videatur, & ellipticon, ſive defectivum. Quemadmodum enim apud Tragicos Poetas ἰλιὰς, *ilias*, dicta eſt lancea, itemque terra, & Troja, & pugna, ac ſpecula, pro Ἰλιακὴ, *Iliaca, ſive Ilienſis*, hoc eſt, Trojana: ita & hoc loci dicitur Ἰλιὰς, *Ilias*, nimirum Deſcriptio, aut Ilias Poeſis, ſive Hiſtoria Ilias, nempe Ilienſis. Sicuti etiam fit, cum dicitur τὸ, Ἰὰς, *Ias*, *ſive Ionica*. Nam & hoc nomen eſt ἐλλειπτικὸν, *defectivum*, quum eo ſignificetur Ionica dialectus. Quod autem hoc loci, velim, obſerves, quemadmodum, cum dicitur Ὁμήρου Ἰλιὰς, *Homeri Ilias*, idem eſt atque τὸ, Ὁμήρου Τρωϊκὰ, *Homeri Troica, ſeu Res Trojanæ*: ita, quod apud Tragicos legitur, Ἰλιὰς μάχη, *Ilias pugna*; æquè valet atque τὸ, Τρωϊκὸς πόλεμος, *Trojanum bellum*. At enim manus jam operi admovenda, ne unus quiſpiam auribus noſtris occinat, nimiam nos in re minimè neceſſarià eruditionem affectare.

τοῖς ἑξῆς δηλωθήσεται. καὶ διὰ ταῦτα μὲν τὸ βιβλίον τοῦτο καλεῖται Ἰλιάς. δοκεῖ δὲ ἡ τοιαύτη λέξις, κτητικὴ εἶναι καὶ ἐλλειπτικῶς ἔχειν. Ὥσπερ γὰρ λόγχη, καὶ γῆ, καὶ Τροία, καὶ μάχη, καὶ σκοπιὰ Ἰλιὰς [58] παρὰ τοῖς Τραγικοῖς, ἀντὶ τοῦ, Ἰλιακὴ, ὅ ἐστι Τρωϊκή· οὕτω καὶ ἐνταῦθα Ἰλιὰς, βίβλος δηλαδὴ, ἢ Ἰλιὰς ποίησις, ἢ ἱστορία Ἰλιάς. Ὥσπερ καὶ τὸ, Ἰάς. Καὶ τοῦτο γὰρ ἐλλέλειπται, δηλοῦν, ὅτι Ἰωνικὴ διάλεκτος. Σημείωσαι δὲ ἐνταῦθα καὶ ὅτι τὸ μὲν εἰπεῖν Ὁμήρου Ἰλιὰς, ταυτόν ἐστι τῷ, Ὁμήρου [59] Τρωϊκά· τὸ δὲ Ἰλιὰς μάχη Τραγικῶς, ἴσον δύναται τῷ, Τρωϊκὸς πόλεμος. Ἀλλὰ γὰρ ἤδη τῷ σκοπῷ ἐγχειρητέον, ἵνα μή ποθεν ἀκούσωμεν, περιττὰ ἐν οὐ δέοντι σοφίζεσθαι.

NOTÆ.

1. ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ) Eodem τῶν Παρεκβολῶν titulo inſcripſit Euſtathius animadverſiones ſuas in Odyſſeam, & in Dionyſium τὸν Περιηγητήν. Latinè dixeris Excerpta, & παρεκβαλεῖν, excerpere, ut etiam τὸ παρεκβολικόν, qua voce utitur hìc in proœmio Euſtathius, opus excerptum. Veruntamen reddere malui Commentarios, quòd hæc vox de iſtiuſmodi ſcribendi genere frequentior ſit apud Latinos. Et ſunt verè Euſtathiani excerpti ex multis auctoribus commentarii. Pulchrè in hoc ipſo proœmio Euſtathius: καθάπερ τοῖς μαγειρεύουσι χάρις, οὐχ ὅτι τὰ μὴ ὄντα δαιτρεύουσιν, ἀλλ' ὅτι τὰ ἐπιπόνως ἔχοντα τοῦ συναγαγεῖν, αὐτοὶ ἀγείραντες εἰς ἓν παρέθεντο· οὕτω καὶ ἡμῖν ἔσται τι χάριτος, ὅτι, πόνου δίχα, οἱ περιτυχόντες ἔχουσι πολλαχόθεν ἐπιτυχεῖν τὸ ζητούμενον. *POLITUS*.

2. Τῶν Ὁμήρου σειρήνων) Siqua alia, Homeri certè carmina, ſirenes; immo & ſiren, Homerus ipſe, ab illecebris, & ſuavitate. Fuit enim in conſuetudine, quod teſtatur Pauſanias Atticis c. 21. Ποιημάτων, καὶ λόγων τὸ ἐπαγωγὸν, Σειρῆνι εἰκάζειν. Hinc Lucianus in Nigrino: τοσαύτην τινά μοι λόγων ἀμβροσίαν κατεσκέδασεν, ὥστε καὶ τὰς σειρῆνας ἐκείνας, εἴ τινες ἄρα ἐγένοντο, καὶ τὰς ἀηδόνας, καὶ τὸν Ὁμήρου λωτὸν ἀρχαῖον ἀποδεῖξαι. *Polit.*

Τῶν Ὁμήρου σειρήνων) Σειρήν. Siren ab Hebr. *Sir*, cantus. *Sir ha Sirim*. Canticum Canticorum. *SALVINIUS*.

3. οὔτε παρελθὼν εἴη ἂν εὔχαρις) Non ſcilicet εὔχαρις, ſed ἄχαρις, & ἄμουσος, a Muſis, & Gratiis alienus, qui neque Gratiis, neque Muſis ſacrificaverit, propriè expers Poetices, quæ χάρις dicta eſt a Pindaro, hoc eſt, indoctus, inelegans, ineruditus. Unde, teſte Fabio l. 1. c. 10. *in proverbium uſque Græcorum celebratum eſt, indoctos a Muſis, atque Gratiis abeſſe*. Polit.

οὔτε παρελθὼν εἴη ἂν εὔχαρις) Sappho ad mulierem quandam: μικρά μοι ἐφαίνεο ἔμμεν καὶ ἄχαρις. Οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας. *Salvin.*

4. Ἐξ ὠκεανοῦ) Sic in proœmio Odyſſeæ: ὁ πάσης τῆς ἐν λόγοις τέχνης καθηγητής. ἐξ οὗ, οἷα τινὸς ὠκεανοῦ, πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσαι λογικῶν μεθόδων πηγαί. Sic Iohanni Diacono Homerus, τῶν λόγων ὠκεανός. *Polit.*

Ἐξ ὠκεανοῦ) Quintilianus Homerum cum Oceano comparat. Ovid.

——— *a quo, ceu fonte perenni,*

Va-

Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Salvin.

5. παρ' αὐτῷ κατέλυσαν) Apposite Heraclides Ponticus in Allegoriis : καὶ χεδὸν ἓν πέρας Ὁμήρῳ παρ' ἀνθρώποις, ὁ καὶ τοῦ βίου. *Polit.*

6. Ἄγουσιν αὐτὸν καὶ Γεωγράφοι διὰ ζήλου πολλοῦ, καὶ θαύματος) veluti ἀρχηγέτην τῆς γεωγραφικῆς ἐμπειρίας, ex veterum sententiâ, apud Geographum l. 1. *Polit.*

7. Ἐφέλκεται τὸ πρᾶγμα καὶ βασιλεῖς) ut regem illum Macedoniæ Cassandrum, quem Homeri adeò studiosum narrabat Carystius, ut & plurimos Poetæ versus memoriter recitaret, & Iliadem sibi, atque Odysseam ἰδίως γεγραμμένας haberet. *Polit.*

8. μαρτυρεῖ ὁ μέγας Ἀλέξανδρος) teste Plutarcho in Alexandro. *Polit.*

9. παροιμία μέν τις κακῶν Ἰλιάδα φησί) Suidas : ἰλιὰς κακῶν. ἐπὶ τῶν μεγάλων κακῶν. Notum & adagium Ciceroni, ad Atticum, l. 8. ep. 11. *tanta malorum impendet* ἰλιάς. Polit.

κακῶν Ἰλιάδα φησίν) Ilias malorum, κακῶν ἰλιὰς dicitur, a versuum multitudine. Propertius :

Tum verò magnas condimus Iliadas.

Grammatici in Anthologiæ epigrammate quodam taxantur, quasi miseram artem tradant. quòd prima carmina Iliados mala continеant, & res exitiales portendant. Palladæ id epigramma est libro primo, quod αὐτοσχεδιάζων utcumque in latinum converti :

Ἀρχὴ γραμματικῆς πεντάστιχος ἐστὶ κατάρα.
  Πρῶτος μῆνιν ἔχει· δεύτερος οὐλομένην.
Καὶ μετὰ δ' οὐλομένην, Δαναῶν πάλιν ἄλγεα πολλά.
  Ὁ τρίτατος ψυχὰς εἰς ἀΐδην κατάγει.
Τοῦ δὲ τετάρτου τὰ ἑλώρια καὶ κύνες ἀργοί.
  Πέμπτου δ' οἰωνοὶ καὶ χόλος ἐστὶ Διός.
Πῶς οὖν γραμματικὸς δύναται μετὰ πέντε καταρας,
  Καὶ πέντε πτώσεις, μὴ μέγα πένθος ἔχειν;

Grammatices initus pentastichon est maledictum.
  Iram primus habet ; alter at exitium.
Et post exitium, Danaorum mille dolores.
  Tertius ast animas infera adire facit.
Quartus versus habetque canes, prædasque rapaces,
  Quincto sunt volucres & gravis ira Iovis.

Ergo

Ergo grammaticus quinis flere in maledictis,
Casibus & quinis qui pote haud graviter?

Salvin.

10. γέμουσα δὲ μυρίων, ὧν ἄν τις ἔποι, καλῶν) verè. ut meritò hinc Flaccus lib. 1. epist. 2. ad Lollium, laudet *Trojani belli scriptorem*;

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Pleniùs, ac meliùs Chrysippo, & Crantore dicit.

Polit.

11. καὶ ὅσα δὲ τῇ ἱστορίᾳ ἐπιθεωροῦντα σεμνά) Nam Homerus, teste Geographo l. 1. ἔλαβε παρὰ τῆς ἱστορίας τὰς ἀρχάς. *Polit.*

Tempus antiquarum historiarum Varroni dicitur μυθικὸν, seu fabulosum. *Salvin.*

12. οὐ πρὸς γέλωτα οἱ ὁμηρικοὶ μῦθοι) In eandem sententiam Heraclides: εἰ δ' ἀμαθῶς τινὲς ἄνθρωποι τὴν ὁμηρικὴν ἀλληγορίαν ἀγνοοῦσιν, οὐδ' εἰς τὰ μυχία τῆς ἐκείνου σοφίας καταβεβήκασιν· ἀλλ' ἀβασάνιστος αὐτοῖς ἡ τῆς ἀληθείας κρίσις ἔρριπται· καὶ τὸ φιλοσόφως ῥηθὲν οὐκ εἰδότες, ὃ μυθικῶς δοκεῖ πλάσαι, προσαρμόζουσιν, οὗτοι μὲν ἐρρέτωσαν· ἡμεῖς δὲ, οἱ τῶν ἀβεβήλων, ἐντὸς περιρραντηρίων ἡγνισμεθα, σεμνὴν, ὑπὸ νόμῳ τῶν ποιημάτων, τὴν ἀλήθειαν ἰχνεύωμεν. *Polit.*

13. ἀληθευτικὴ) Ἀληθεύειν, Latinè verare. *Salvin.*

14 Ἀλλὰ διὰ τὸ τῶν πολλῶν ἐπαγωγὸν, αὐτὸς τῇ ποιήσει παρεμπλέκων τεχνάζεται) Quod idem egregiè explicatum a Strabone l. 1. ubi pro Homero disputat adversus Eratosthenem. *Polit.*

15. μεθοδευτὴς οὗτος τῆς μυθικῆς πιθανῆς πλάσεως) quia scilicet, ut observat Geographus, πρὸς τὸ παιδευτικὸν εἶδος ἀναφέρων τοὺς μύθους ὁ Ποιητὴς, ἐφρόντισε πολὺ μέρος τἀληθοῦς. *Polit.*

Iidem olim poetæ atque philosophi. Euripides Ciceroni philosophus scenicus dicitur, ob graves admirabilesque γνώμας, quas suis fabulis scitè inseruit. *Salvin.*

16. ἀποδιοπομποῦντες, αὖθις προσίενται) Heraclides: παυσάμενοι, διψῶμεν αὐτοῦ πάλιν. *Polit.*

17. τῷ παροιμιακῷ Σκύθῃ) Suidas v. Ὁ Σκύθης, refert hoc modo adagium: Ὁ Σκύθης τὸν ἵππον. Sed pro equo asinum memorat ipse alibi Suidas. Item Hesychius: Σκύθης ἵππον δαίρει. De quo loco Hesychii frustra est Erasmus, cum subdubitat, an vacet mendo. Nam & Suidas v. Σκύθης. eodem ferè modo adagium adducit, scilicet: Σκύθης τὸν ὄνον. Nec apud Hesychium tacitè intelli-

telligendum, εὑρίσκει, aut *repperit*, quod vult Erasmus; sed ἀκκίζεται, aut ἀκκιζόμενος, ut disertè apud Suidam: Ἀκκιζόμενος Σκύθης τὸν ὄνον. *Polit.*

18. καὶ εἰς τὴν Ὀδύσσειαν δὲ) In cujus proœmio simile monitum præmiserat: ἔσται δὲ ἡμῖν κἀνταῦθα, ὡς καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι, ἡ μεταχειρίσεως ἡ ἐπιβολὴ, οὐ κατὰ ἐξήγησιν, ἧς ἄλλοις ἐμέλησεν, ἀλλὰ κατ' ἐκλογὴν τῶν χρησίμων τοῖς ἐπιτρέχουσι, καὶ μὴ ἐν εὐχερεῖ ἔχουσιν ἑαυτοὺς ἐπαφιέναι τῷ τῆς ποιήσεως πλάτει σχολαίτερον. Atque hinc etiam patet, jure a nobis commentarios dici, Eustathianas has παρεκβολάς. Isidorus Originum lib. 6. c. 8. *Quidquid breviter componitur, commentarium dicitur: quod verò elongatur, expositio nominatur.* Polit.

19. ἐκφλυαρίζων) Atticè κατ' ἀναγραμματισμὸν, ἐκφλαυρίζων. *Polit.*

20. οὐδὲν ἱερόν) Adagii hujus mentio apud Theocritum Idyllio έ. Ἀλλ' οὖν αἶψα λῆς ἔριφον θέμεν· ἐντὶ μὲν οὐδὲν ἱερόν. ubi Scholiastes: παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων. *Polit.*

οὐδὲν ἱερόν) Sacra quæ dicuntur, ea sunt inviolabilia. Plures urbes in nummis Græciæ junctim dicuntur: ἱεραὶ καὶ ἄσυλοι. *Salvin.*

21. κατὰ τὸν παροιμιακὸν Ἀστυδάμαντα) Poetam Tragicum, de quo vide Suidam. Una ex ejus Tragœdiis, *Parthenopæus*, qua tantum gloriæ apud Athenienses retulit, ut, decretà ei in Theatro statuà, ipse laudes suas epigrammate complecti non dubitaverit. Hinc natum adagium: Σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας, γύναι, ut apud Athenæum lib. 1. quod paullò aliter apud Suidam: Σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας ποτέ. *Polit.*

Reconcinnata est vox γύναι in ποτέ. ut ita generatim prolatum dictum speciem proverbii magis præseferret. *Salvin.*

22. πολλαχοῦ δὲ καὶ ἱστορικῶς) Verè Strabo lib. 1. ἐκ μηδενὸς δὲ ἀληθοῦς ἀνάπτειν καινὴν τερατολογίαν, οὐχ Ὁμηρικόν. *Polit.*

23. ἐνθεραπευόντων) Malim, ἐκθεραπευόντων. *Polit.*

24. ἔπεα πτερόεντα) Iliad. ά. v. 201. & lib. β'. v. 7. & v. 109. & passim. *Polit.*

25. ἰδιάζεται δὲ ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τῶν ῥαψῳδούντων) Pollux lib. 10. c. 1. de hoc ipso verbo ποιεῖν. τοῦτο διὰ τὴν ἐπὶ πολλῶν χρῆσιν, ἀμφίβολον, εἰ μήτις αὐτῷ προσθείη τὰ ποιήματα. *Polit.*

Verbum Facere omnem rem complectitur. Digestis, titulo: De verborum significatione. ποιεῖν *apud Græcos etiam valet poema condere.* Salvin.

19:

26. Φημονόη) Corruptè apud Plinium lib. 10. c. 3. *Phœmonoe Apollinis dicta filia*. Est enim Græcis Φημονόη. *Polit.*

Φημονόη) Cur, quemadmodum Platoni in Cratylo Ἀθηνᾶ dicta est quasi θεονόη, Dei mens, dicta esse non potuit Apollinis filia Φοιβονόη, Phœbi mens, in mss. codicibus Φοιμονόη, & υ traductum ad μ; Politianus in Nutriciis:

Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos
Phœmonoe commenta pedes ———

Salvin.

27. καὶ ἡ τῶν Κυκλίων ποιημάτων) Separat Eustathius ab Epopœjà genus hoc τῶν Κυκλίων ποιημάτων. Non ergo *Cyclica Poemata*; ea nunc intelligit, quæ Epico cyclo continebantur, ab antiquissimis Poetis Epicis composita, quibus fabularis historia a mundi origine usque ad cædem Ulyssis describebatur, ut fusè ostenderat Proclus in Chrestomathià Grammaticà: sed *Poemata Cyclica* accipienda hìç sunt, qualia exponit Scholiastes Aristophanis ad Aves v. 919. itemque Suidas, τὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν ἔχοντα, puta, ὕμνους, παιᾶνας, προσῳδία, καὶ τὰ λοιπὰ τοιουτότροπα παραπλήσια. Inde apud eumdem Aristophanem ὁ κυκλιοδιδάσκαλος, id est, ut explicat Scholiastes, διθυραμβοποιός, sive, *Poeta Dithyrambicus*. Polit.

καὶ ἡ τῶν Κυκλίων ποιημάτων) Horatius in Arte Poeticà: *ut scriptor cyclicus olim*. Fabularum orbis κύκλος dicebatur. *Salvin.*

28. ὁ Κωμικὸς ἐμφαίνει) Aristophanes Thesmophoriazusis v. 200. ubi Agatho sic Euripidem compellat: Εὐριπίδη. Cui Euripides: τί ἐστι; At Agatho: Ἐποίησας ποτε. & statim affert versum hunc Euripidis ex Alcestide: Χαίρεις ὁρῶν φῶς· πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς; *Polit.*

29. ὁ Ῥήτωρ, ὁ Δημοσθένης) vel Latini oratoris testimonio, in Bruto: *planè quidem perfectum; & cui nihil admodum desit, Demosthenem facilè dixeris*. & infra. *quo genere quia præstat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps judicatus*. Polit.

30. εἰς τὸν Πίνδαρον ἀναγόμεθα) Præclarè Fabius lib. 10. c. 1. *Novem verò Lyricorum longè Pindarus princeps, spiritus magnificentià, sententiis, figuris, beatissimà rerum, verborumque copià, & velut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum merito credidit nemini imitabilem*. Polit.

31.

31. τὸν Ὅμηρον ἐνόησε) Tullius in Topicis: *Homerus, propter excellentiam, commune Poetarum nomen, efficit apud Græcos suum.* Et Vellejus Histor. l. 1. *Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operum, & fulgore carminum solus appellari Poeta meruit. in quo hoc maximum est, quòd neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est.* Polit.

τὸν Ὅμηρον ἐνόησε) Justinian. in prohœmio Institutionum. *Salvin.*

32. ἀρχὴ καὶ καθηγητὴς αὐτὸς πᾶσι γέγονε ποιηταῖς) Favet ex nostris Ovidius lib. 3. Amorum eleg. 8.

Aspice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Polit.

33. ἐπικρύψας ἑαυτὸν ὁ Ποιητὴς) quod, ex Dionis Chrysostomi sententià, maximè laudandum in Homero. Non ita Hecatæus, non ita Herodotus, non ita Thucydides, non ita qui Homerum Poetæ sunt æmulati. *Ipsi illi Philosophi* [ut verissimè olim observatum Tullio] *etiam in illis libellis, quos de contemnendà glorià scribunt, nomen suum inscribunt.* Ὁ δὲ, inquit Dio de Homero Orat. LIII. οὕτως ἄρα ἐλεύθερος ἦν καὶ μεγαλόφρων, ὥστε οὐδαμοῦ φανήσεται τῆς ποιήσεως, αὐτοῦ μεμνημένος· ἀλλὰ τῷ ὄντι, ὥσπερ οἱ προφῆται τῶν θεῶν, ἐξ ἀφανοῦς καὶ ἀδύτου ποθὲν φθεγγόμενος. *Polit.*

ἐπικρύψας ἑαυτὸν ὁ ποιητὴς) Phocylides in suis præceptis suum nomen præscribebat, dicens:

Καὶ τόδε Φωκυλίδου. ——————
Atque hoc Phocylidis. ——————

Salvin.

34. πολύπατρις) Antiquissima hæc fuit de patrià Homeri contentio, & summis viribus agitata. Cicero pro Archià: *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum: Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant. itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt.* Extant in idem argumentum versus lib. 4 Anthologiæ c. 27. *Polit.*

πολύπατρις) V. Gellium lib. 3. cap. XI. *Salvin.*

35. Ἀμφισβητοῦσι δ' αὐτοῦ καὶ Χῖοι) Ex Strabone lib. 14. p. 645. apud quem interim ex Eustathio legendum patet: μαρτύριον μὲν

τοὺς

τὺς Ὁμηρίδας καλυμένυς, ἀπὸ δὲ τῦ ἐκείνυ γένυς, προχειριζόμενοι, non, ut habent libri, μαρτύριον κατὰ τὺς Ὁμηρίδας. Significat Strabo, teſtes a Chiis prolatos eos, qui, quum Homeridæ vocentur, ſunt de genere, & familiâ Homeri. *Polit.*

36. Πίνδαρος μέμνηται) Pindarus Nem. Od. 2. v. 1. ubi Scholiaſtes: Ὁμηρίδας ἔλεγον τὸ μὲν ἀρχαῖον τὺς ἀπὸ τῦ Ὁμήρου γένους· οἳ ϗ τὴν ποίησιν αὐτῦ ἐκ διαδοχῆς ᾖδον. Sic apud Suidam ex Harpocratione Homeridæ, γένος ἀπὸ τῦ Ποιητῦ ὠνομασμένον ἐν Χίῳ. Sed aliam voci explicationem dat Seleucus. *Polit.*

37. ἕτεροι πρὸ αὐτῦ ἦσαν Ποιηταὶ) Aliter opinatur Herodotus in Euterpe n. 53. ubi ait, qui Poetæ Heſiodo & Homero priores feruntur, eos ſibi quidem videri illis fuiſse poſteriores. Sanè Joſephus lib. 1. contra Apionem, ullum negat extare apud Græcos γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. *Polit.*

ἕτεροι πρὸ αὐτοῦ ἦσαν Ποιηταὶ) Vellejus Paterculus Homerum ita commendat, ut qui primus, idem eſset & perfectiſſimus. Ptolemæus Hephæſtio apud Photium, Helenam quamdam ait extitiſse Homero antiquiorem, quæ idem argumentum Trojani belli heroico carmine tractaverit. Sed quanta fides Ptolemæo iſti ſit habenda, Photius idem, Criticus accuratus, declarat; fabuloſum eum affirmans Hiſtoricum. Horatius:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longâ
Nocte, carent quia vate ſacro.

Salvin.

38. ὧν ϗ Μυσαῖος) Muſæus memoratus etiam Ariſtophani Ranis v. 1065. inter vetuſtiſſimos Poetarum, cum Orpheo, Heſiodo, & Homero. Vide ibi Scholiaſten. *Polit.*

Muſæus Eumolpi filius; vates, medicus & oraculorum ſcriptor, verſibus. *Salvin.*

39. Αἰλιανὸς ἱςορεῖ) Ælianus lib. 14. Variæ Hiſtoriæ c. 21. *Polit.*

40. Ἡρόδοτος, ἱςορεῖ ἐν οἷς ἔγραψεν εἰς τὸν Ὅμηρον) Vides hìc etiam ab Euſtathio diſertè adſcriptum Herodoto libellum de Vitâ Homeri. Sed de Auctore hujus libri variant nunc judicia recentiorum. *Polit.*

Non videtur ibi admodum Jonicè loqui. *Salvin.*

41.

41. πολλοὶ Ὅμηροι) Alii duo Homeri Suidæ, uterque Grammaticus. Alii aliis. *Polit.*

42. ἀπὸ τοῦ μὴ ὁρᾶν αὐτὸν μάχαις) Ex Etymologo. qui & ab eadem notione etymon aliud affert hujus nominis, παρὰ τὸ πηρός, ὃ σημαίνει τὸν τυφλόν. Unde ὅπηρος, καὶ ὅμηρος, articulo nomini juncto. Sic quidem Etymologus. Sed Ephorus Cumanus in libro de Rebus Patriis apud Plutarchum vult eos, qui capti sunt oculis, a Cumanis & Jonibus dici ὁμήρους, eo quòd indigeant τῶν ὁμηρευόντων, hoc est, ἡγεμόνων. Atque id ad etymologiam hujus vocis pertinet. Inde a cœcitate apud Cumanos nomen inditum Homero, quum antea vocaretur Melesigenes, non modò ibidem tradit Ephorus, sed & Herodotus in Vità Homeri. Unde constat, non cœcum natum Homerum: *quem si quis*, inquit Vellejus, *cæcum genitum putat*, *omnibus sensibus orbus est*; sed in cœcitatem postea ex oculorum ægritudine incidisse. Quamquam Homeri cœcitatem alio sensu accipit Suidas, quia scilicet οὐχ ὅτι ἦν ἐπιθυμίας, ἣ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἄρχεται, καὶ διὰ τοῦτο ἱστορήθη τυφλός. *Polit.*

Namque

——— *oculi sunt in amore duces.*

Μελησιγενὴς vocatus Homerus, quasi genitus e Melete fluvio Smyrnæ. Vide Idyllion inscriptum, Epitaphion Bionis. *Salvin.*

43. ὡς αὐτὸ τοῦτο γενόμενος Ὅμηρος) idest, ut explicat Hesychius, ἐνεχυραζόμενος, sive ἕνεκεν εἰρήνης διδόμενος. Sic Suidas: ἐκλήθη δὲ Ὅμηρος διὰ τὸ, πολέμου ἐνισταμένου Σμυρναίοις πρὸς Κολοφωνίους, ὅμηρον δοθῆναι. *Polit.*

44. τὰ ἐπὶ εἰρήνῃ ὅμηρα) Hinc Seleucus apud Harpocrationem τοὺς Ὁμηρίδας vocatos existimabat, non ab Homero scilicet Poetà, quasi ab eo genus ducerent; sed ἀπὸ τῶν ὁμήρων, sive ab obsidibus, νυμφίοις καὶ νύμφαις, quos, concordiæ caussà, mulieres Chiæ dederant maritis suis, & vicissim acceperant: quorum posteri Homeridæ. *Polit.*

45. παρὰ τὸ ὁμοῦ καὶ τὸ ἀρῶ) Vide Etymologum. *Polit.*

46. παρ' Εὐριπίδῃ) apud Euripidem in Oreste v. 1111. Συλλάβεθ' ὅμηρον τήνδ' ὅταν τύχῃ πάλιν. *Polit.*

47. ὅμηρον τήνδε) Adrianus Junius, qui vastum Eustathii opus in epitomen quamdam redegit, de suo hìc quædam addidit, nobis quidem minimè omittenda, utpote quæ ad Homeri no-

 men,

men, genus, atque inſtitutionem pertinent. Ea autem ſunt hujuſmodi: Ἡλιόδωρος δὲ ἱστορεῖ, ὠνομάσθαι ἐκ τοῦ περὶ τὸ σῶμα πάθους. Τὸν γὰρ Ὅμηρον ἐκ τῆς μίξεως τοῦ δαίμονος, τοῦ τῇ αὐτοῦ μητεὶ τελέσῃ τινὰ πάτριον ἁγιστείαν, καὶ κατὰ τὸ ἱερὸν καθευδούσῃ συνελθόντος, σύμβολόν τι φησὶ αὐτόθεν ἐξ ὠδίνων ἐσχηκέναι, πολύ τι μῆκος τριχῶν ἐν θατέρῳ τοῖν μηροῖν ἐπιπολάζον. Διδάσκαλον δὲ Ὁμήρου τὸν Κρεώφυλον τὸν Σάμιον εἶπόν τινες· ἕτεροι δὲ Ἀριστέαν τὸν Προκοννήσιον, ὡς ὁ Γεωγράφος ἱστορεῖ. Hiſtoriam illam Heliodori habes apud eum Æthiopicorum lib. 3. ubi Calaſiris patriam dat Homero Thebas centum portarum. ibi, compreſsà in templo a Mercurio antiſtitis ipſius uxore, natum eſſe narrat Homerum, qui inceſti coitus notam, crines ingenti longitudine in altero femorum luxuriantes retulerit, indeque ἀπὸ τοῦ μηροῦ, ſive *a femore*, Homerum eſſe appellatum. Atque ad hanc hiſtoriam reſpiciunt, ni fallor, Suidas, & Euſtathius, cum Homerum memorant quibuſdam videri patrià Ægyptium. Reliqua de magiſtro Homeri, quem alii Creophylum tradunt, alii Proconneſium Ariſteam, excerpta ſunt ex Strabone lib. 14. p. 639. Sed interim conſtat, perperam ab Adriano illo Junio ſcriptum Ἀρισταῖον, pro quo ſcribendum ei fuerat Ἀριστέαν. *Polit.*

48. ὁ Μαργίτης, καὶ ἡ τῶν μυῶν καὶ βατράχων μάχη) Utrumque hoc Poema Plutarchus diſertè abjudicat ab Homero. At Margiten, Homeri adhuc junioris partum agnoſcit Dio Chryſoſtomus Orat. 53. itemque Homero aſſignant auctori Plato in Alcibiade 1. & Ariſtoteles lib. de Poeticà c. 4. Harpocratio v. Μαργίτης, Scholiaſtes Ariſtophanis ad Aves v. 914. & alii. Sic & Batrachomyomachiam Homero adſcribit Herodotus, & Suidas; eamque communi olim conſenſu attributam fuiſſe Homero, patet ex Epigrammate Martialis 183. lib. 14. Sed & alia adſerit Homero Herodotus, nempe Amphiarai Expeditionem, Hymnos in deos, Minorem Iliadem, Phocaidem, Cercopas, Epicichlidas, καὶ τἄλλα πάντα ὅσα παίγνια ἐστὶν Ὁμήρου. Ac præterea enumerantur a Suidà ejuſdem Amazonia, Noſti, Jambi, Arachnomachia, Geranomachia, Ceramis, Siciliæ, ſive potiùs Oechaliæ, Expugnatio, Epithalamia, Circulus, Cypria. Quæ tamen omnia neſcio, an verè Homerum auctorem habuerint. Cypria certè alterius eſſe auctoris oſtendit Herodotus in Euterpe n. 117. De Margite inter alia Homeri Opera tacet Suidas. Sed poſtea tradit de Pigrete Halicarnaſſenſi, fratre Artemiſiæ, cum

cum scripsisse τὸν εἰς Ὅμηρον ἀναφερόμενον Μαργίτην, καὶ Βατραχομυομαχίαν. *Polit.*

49. ἐὰν ἡ Ἰλιὰς ἢ Ὀδυσσείας πρωτεποίηται) Græcanicas id genus quæstiones sugillat gravissimè Seneca in lib. De Brevitate Vitæ c. 13. *Græcorum iste morbus fuit, quærere, quem numerum remigum Ulysses habuisset: prior scripta esset Ilias, an Odyssea: præterea an ejusdem esset auctoris.* Mirum autem est, quod ait Seneca, dubitatum olim fuisse, an Ilias, & Odyssea ab eodem essent auctore. Duo enim illa Homeri Poemata ἀναμφίλεκτα, ut testatur Suidas. *Polit.*

50. ζητητέον ἐν τοῖς εἰς τοῦτο γράψασιν) Homeri, & Hesiodi certamen quærendum imprimis apud Plutarchum in Convivio septem Sapientum, ubi ἔκκειται καὶ τὰ ῥητὰ τῆς ἔριδος. itemque lib. 1. Symposiac. quæst. 2. Ferunt, Panidam, regem Chalcidis, judicem fuisse illius certaminis, sententiamque secundùm Hesiodum tulisse, ut est apud Philostratum Heroicis in Euphorbo. Unde in proverbium abiit Πανίδου ψῆφος, de iis, qui malè, atque imperitè judicant. Sed, gravis auctor, Dio Chrysostomus Orat. 2. De Regno, ideò victum ait Homerum, & justè victum fuisse, quod non coram regibus, sed coram agricolis, plebeiisque hominibus, immo etiam voluptariis, ac mollibus, certaverit. Tum Hesiodus tripodem, quem victoriæ præmium acceperat, dedicasse traditur Musis in Helicone cum Epigrammate:

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκεν,
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

Quod Epigramma extat apud Dionem, & lib. 3. Anthologiæ cap. 25. Quare M. Varro in primo de Imaginibus apud A. Gellium, *aliquo tempore eodem* colligebat utrumque Poetam vixisse. Sic & unum alteri æqualem, aut supparem, faciunt Herodotus in Euterpe n. 53. Ephorus Cumanus apud Plutarcum in libro de Vità Homeri, Euthemenes, & Archemachus apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum, Cassius in primo Annalium apud A. Gellium lib. 17. cap. 21. & siqui sunt alii apud Cyrillum lib. 1. contra Julianum, & apud Suidam in Hesiodo. Alii tamen magno consensu Homerum statuunt multò antiquiorem Hesiodo, ut M. Tullius in lib. de Senectute, Vellejus lib. 1. Historiar. Solinus cap. 42. Porphyrius, &

 alii,

alii, quos plurimos ab hac parte ſtare ſcribit Suidas. Neque etiam deſunt, quibus contra vetuſtior Heſiodus videatur. Quare nihil eſt, quod certò definias de certamine illo Heſiodi, & Homeri. Unum illud conſtat, Heſidoum Chalcide in funebribus Amphidamantis ludis in certamen Poetarum veniſſe, viciſſe, donatumque eſſe tripode, quem Muſis poſuit in Helicone. Sic enim ipſe de ſe magnificè prædicat in Operibus & Diebus lib. 2.

Ειθὰδ᾽ ἐγὼν ἐπ᾽ ἄεθλα δαΐφρονος Ἀμφιδάμαντος
Χαλκίδα τ᾽ εἰσεπέρησα· τὰ δὲ προπεφραδμένα πολλὰ
Ἆθλ᾽ ἔθεσαν παῖδες μεγαλήτορες· ἔνθά με φημὶ
Ὕμνῳ νικήσαντα, φέρειν τρίποδ᾽ ὠτώεντα.
Τὸν μὲν ἐγὼ Μούσῃσ᾽ Ἑλικωνιάδεσσ᾽ ἀνέθηκα.

Non tacuiſſet, puto, Homeri nomen Heſiodus, ob magnam hominis celebritatem, ſi illum verè carmine viciſſet. Sed interim ex illis verſibus facile forſan fuit popularibus Heſiodi, fingere Homerum ab eo ſuperatum; compoſitumque ex ipſis Heſiodi verbis epigramma, tripodi in Helicone inſcribere. Mons enim Bœotiæ Helicon, in cujus dextro latere Aſcra, patria Heſiodi. Unde mihi quidem fit veriſimile, Bœotios, ſive Aſcræos, civis ſui gloriæ ſtudere hoc modo voluiſſe. Certè, ſi verè conſtitiſſet ſcriptum epigramma illud ab Heſiodo, non adeo apud veteres quæſitum fuiſſet, quod teſtatur Seneca ep. 89. *utrum major ætate fuerit Homerus, an Heſiodus.* Pauſaniæ in Bœoticis c. 31. inter alios tripodes, qui dedicati ſunt in Helicone, unus dicitur antiquiſsimus, ὃν ἐν Χαλκίδι λαβεῖν τῇ ἐπ᾽ Εὐρίπῳ λέγουσιν Ἡσίοδον, νικήσαντα ᾠδῇ. Sed non exprimit Pauſanias, ex quo potiſsimùm Poetà victoriam Heſiodus reportaverit. *Polit.*

Heſiodus Muſis Heliconiſin huncce ſacravit,
Hymno divinum vincens in Chalcide Homerum.

Salvin.

51. ἐὰν ἐπὶ τῶν Τρωϊκῶν ἔτυχεν ὤν, ἢ μᾶλλον μετὰ τὰ Τρωϊκὰ) Multi de hac controverſià dixerunt multa. Quod ad rem noſtram facit, breviter Plutarchus in Vità Homeri: Γενέσθαι δὲ αὐτόν φασι τοῖς χρόνοις, οἱ μὲν κατὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον, ὃ καὶ αὐτόπτην γενέσθαι· οἱ δὲ μετὰ ἑκατὸν ἔτη τοῦ πολέμου· ἄλλοι δὲ μετὰ πεντήκοντα, καὶ ἑκατόν. *Polit.*

52. φυλοκρινήσει τις) Emendabam φιλοκρινήσει τις, cum vidi ſic etiam correxiſſe Frobenium. *Polit.*

53.

53. βίβλος ἱστορικὴ πολυλόγος συντεθῆσεται) Utinam & nobis aliquando liceat Homericam hanc historiam contexere? Dignum hoc argumentum, quod adhuc diligentius pertractetur. *Polit.*

54. ἀνδρώδης μὲν ἡ Ἰλιάς) Sic Plutarcho Homerus δῆλός ἐστι παριστὰς διὰ μὲν τῆς Ἰλιάδος ἀνδρίαν σώματος, διὰ δὲ τῆς Ὀδυσσείας ψυχῆς γενναιότητα. *Polit.*

55. ὡς ἐκεῖ σαφέστερον γέγραπται) nempe in proœmio Odysseæ. *Polit.*

56. ὠνόμασται Ἰλιάς) l. ὠνόμασται Ἰλιάς. ut correxit etiam Frobenius *Polit.*

57. παρὰ τῶν Ἰλιέων) lege mecum, & cum Frobenio, περὶ τῶν Ἰλιέων. *Polit.*

58. παρὰ τοῖς Τραγικοῖς) ut apud Euripidem in Hecubà πατρὶς Ἰλιὰς v. 905. Τροία Ἰλιάς v. 922. Ἰλιὰς σκοπιὰ v. 931. Legendum enim ibi est, τὰν Ἰλιάδα σκοπιάν. non, ut in nonnullis vulgatis libris, Ἰλιάδος σκοπιάν. Sic γᾶ Ἰλιὰς v. 941. Et in Troadibus v. 526. Minerva Ἰλιάς. Neque ita tantùm Tragici; sed & Herodotus, cui Ἰλιὰς χώρη in Terpsicore n. 94. & Ἀθηναίη Ἰλιὰς in Polymnià n. 43. & Ἰλιὰς γῆ ibidem n. 42. Sic & mulier *Ilias*. Unde *Iliades* Virgilio. *Polit.*

59 Τρωϊκά) Troica, idest res Trojanæ, ut Argonautica, res Argonautarum. *Salvin.*

ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΛΦΑ ΡΑΨΩΔΙΑΝ.

COMMENTARII IN LIBRUM A.


ΗΝΙΝ ἄειδε, θεὰ, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε·
Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων· αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

IRAM


RAM cane, Dea, Pelidæ Achillis
Perniciosam, quæ innumeros Achivis dolores intulit,
Multasque fortes animas ad inferos præmisit
Heroum, eosque prædam dilacerandam paravit Canibus,
Alitibusque omnibus. Jovis enim perficiebatur sententia.

1. Ὅτι ἓν μέν τι σῶμα συνεχὲς διόλȣ καὶ εὐάρμοστον, ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις. Οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην ([2] κατ' ἐπιταγὴν, ὥς φασι, Πεισιστράτȣ τȣ τῶν Ἀθηναίων τυράννȣ) Γραμματικοὶ, καὶ διορθωσάμενοι, κατὰ τὸ ἐκείνοις ἀρέσκον, ὧν κορυφαῖος [3] ὁ Ἀρίσταρχος, καὶ [4] μετ' ἐκεῖνον Ζηνόδοτος, διὰ τὸ ἐπίμηκες, καὶ δυσεξίτητον, καὶ διὰ τȣτο προσκορὲς, κατέτεμον αὐτὸ εἰς πολλά. Καὶ τὰ τοιαῦτα τμήματα, ȣκ ἠθέλησαν ὀνομάσαι πρῶτον, τυχὸν, λόγον, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τὰ ἑξῆς, καθάπερ ἐποίησε [5] Κόϊντος ἐν τοῖς μετὰ τὸν Ὅμηρον· ἀλλ' ἐπειδήπερ ἡ βίβλος ἐξήρκει πρὸς πλείω τμήματα, ἔκριναν σεμνὸν

1. Unum universè continuum, & benè aptatum corpus, carmen est Iliadis. Grammatici verò [qui, jussu, ut ferunt, Pisistrati, Atheniensium tyranni, illud concinnarunt, & arbitratu suo correxerunt] quorum princeps Aristarchus, & secundùm illum Zenodotus, quia ob nimiam longitudinem difficilè tractabatur, fastidiumque idcirco afferebat, in multa ipsum segmenta diviserunt. Atque istiusmodi segmenta, non primum, verbi gratia, librum, & secundum, & tertium, reliquosque deinceps, appellare illis placuit, ut fecit Quintus in continuando argumento Homeri: sed quia hic liber pluribus segmentis sufficiebat, rem operis majestate dignam judicarunt, si se-

cvo-

ctiones ipsas vocarent nominibus quatuor, & viginti elementorum, quibus articulatè composita vox mortalium constat. Unde & principem sectionem nominarunt Ἄλφα, alteram Βῆτα, tertiam Γάμμα, reliquasque, quæ deinceps sequuntur, similiter, suo quamque ordine, usque ad ὦ magnum: ut ita Homericum carmen honorario munere litterarum, quæ elementa sunt loquendi, decorarent, nec quidquam negotii, aut difficultatis in adinveniendis verbosis titulis haberent; sed philosophos æmularentur, qui suos sæpe libros sic magnificentiùs, & graviùs inscribunt. Quamobrem quatuor illa, & viginti segmenta Homericæ Poeseos, tum Iliadis, tum Odyssææ, non solùm nominantur ἄλφα, & βῆτα, & γάμμα, &c. verùm etiam vocantur Grammata, sive Litteræ; ut elementa ipsa, quæ diximus, loquendi: non tamen Dramata, ut Tragœdiæ. Eæ enim non Grammata, sive Litteræ, dicuntur, sed Dramata, seu Fabulæ, ἀπὸ τοῦ μιμηλῶς ἐν θεάτροις δρᾶσθαι, *ab agendâ in theatris fabulâ per histriones.*

ὀνομάσαι τὰς τομὰς, τοῖς ὀνόμασι τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων τῆς ἀνθρωπίνης ἐναρμονίου φωνῆς. Ὅθεν καὶ τὸ μὲν προκατάρχον τμῆμα, Ἄλφα ὠνόμασαν· τὸ δὲ μετ᾽ αὐτὸ, Βῆτα, καὶ Γάμμα τὸ ἐφεξῆς, καὶ τὰ ἐχόμενα, ὁμοίως, κατὰ εὔτακτον λόγον, ἕως τοῦ μεγάλου ὦ, τιμῶντες οὕτω τὴν Ὁμηρικὴν ποίησιν τῷ πρεσβείῳ τῶν στοιχειωδῶν γραμμάτων, καὶ μὴ δὲ πράγματα ἔχοντες τῇ εὑρεσιλογίᾳ τῶν ἐπιγραφῶν, καὶ φιλοσόφων δὲ ἔργον ποιοῦντες, οἳ πολλαχοῦ τὰ οἰκεῖα συγγράμματα οὕτως ἐπιγράφουσι σεμνότερον. Διὸ καὶ τὰ εἰκοσιτέσσαρα τμήματα τῆς Ὁμηρικῆς ποιήσεως, τῆς τε κατὰ τὴν Ἰλιάδα, καὶ τῆς ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ, οὐ μόνον ἄλφα, καὶ βῆτα, καὶ γάμμα ὀνομάζονται, καὶ τὰ ἑξῆς, ἀλλὰ καὶ Γράμματα καλοῦνται, κατὰ καὶ τὰ ῥηθέντα στοιχεῖα τῆς φωνῆς· οὐ μὴν Δράματα, ὡς τὰ παρὰ τοῖς Τραγικοῖς. Αὐτὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ μιμηλῶς ἐν θεάτροις δρᾶσθαι, Δράματα λέγονται,

τον), ἤγουν Γράμματα. Εἰ δὲ καὶ τὴν Ὁμηρικὴν ποίησιν οἱ ὕστερον ὑπεκρίνοντο δραματικώτερον, τὴν μὲν Ὀδύσσειαν, ἐν ἀλουργοῖς ἐσθήμασι, τὴν δὲ Ἰλιάδα ἐν ἐρυθροῖς ἀφέσιν, ἐκεῖνο μὲν, κατὰ τὰς πλάνας, διὰ τὴν ἐν θαλάσσῃ πλάνην τοῦ Ὀδυσσέως, τοῦτο δὲ διὰ τοὺς ἐν Τροίᾳ φόνους, καὶ τὰ ἐντεῦθεν αἵματα· ἀλλὰ τοῦτο μὲν, σύμβαμα καὶ καινότερον ἐπινόημα τῶν ἐσύστερον· ὁ δὲ Ποιητὴς, εἰ καὶ δραματικῶς ἔγραψεν, ἀλλ' οὐκ ἐδραματούργησε σκηνικῶς. Διὸ οὐ δὲ δράματα τὰ τῆς ἐκείνου ποιήσεως τμήματα. Οὐ μόνον δὲ Γράμματα τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ καὶ [7] Ῥαψῳδίαι καλοῦνται, διὰ τὸ κατὰ συνθήκην τεχνικὴν ῥάπτεσθαι οἷον τὴν ᾠδήν. Καὶ φέρεται εἰς τὴν τοιαύτην ἔννοιαν Ἡσιόδου ῥῆσις αὕτη ἐν μέτρῳ ἡρῴῳ.

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ
καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ
Μέλπομεν, ἐν νεαροῖς ὕμνοις
[8] ῥάψαντες ἀοιδήν.

Ὅτι δὲ καὶ [9] παρὰ τὴν ῥάβδον

Sin & Homericum ipsum carmen posteri, fabularum more, personati repræsentarunt, cæruleis vestibus Odysseam, purpureis Iliada; illud quidem, ut docent veteres, propter varios Ulyssis in mari errores, hoc verò propter cædes perpetratas apud Trojam, sanguinemque inde effusum: attamen id casu quodam factum est; novoque ex commento posterorum. Nam, etsi Poeta ad exemplum dramatis scripserit; drama tamen, seu fabulam, non scripsit, ut serviret scenæ. Nec proinde dramata sunt segmenta illius poematis. Neque verò Grammata tantùm hi libri appellantur; verùm etiam Rhapsodiæ, quasi consutæ cantiones, propterea quòd cantio, compositis artificiosè versibus, veluti consuatur. Atque in istum sensum affertur dictum hoc Hesiodi, Heroico carmine:

In Delo divinus Homerus,
egoque canentes
Tum primùm, fuimus vates
nova carmina uterque.

Verumtamen aliqui ex vete-

ribus, Callimachum secuti, cum dixit τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον, *verba contexta ad virgam*, dictam volunt Rhapsodiam παρὰ τὴν ῥάβδον, *a virgâ*, quasi sit ῥαβδῳδία, *Rhabdodia*, *sive carminum ad virgam decantatio*. Virga hæc erat laurea, quam ii tenebant, qui istiusmodi carmina cantitabant. Caussam, cur ita fieret, explicant Grammatici. Atque ita quidem quatuor & viginti Grammata Homeri, Rhapsodiæ quoque vocabantur, quum partes essent narrationis, sive, ut veteres loquuntur, partiariæ quædam peripetiæ, parvaque argumenta. Eædem etiam Rhapsodiæ, veluti partes, Poemata appellabantur. Nam Poesis quidem, totus atque integer liber: Poema verò, hoc gramma, videlicet hæc Rhapsodia, idest, ἄλφα, βῆτα, & reliqui, qui sequuntur, libri. Quin & plerique antiquorum, tum universam Homeri Poesin dicunt Rhapsodiam, tum Rhapsodos, seu carminum veluti sutores, & sarcinatores, eos, qui ipsam decantarent: nec non Rhabdodos propter virgam e lauro, quam superiùs memoravimus: eademque etiam de caussâ Stichodos. στίχοι enim,

ἡ ῥαψῳδία εἴρηται, οἱονεὶ ῥαβδῳδία τις οὖσα, [10] Φασὶ καὶ τοῦτο οἱ παλαιοὶ, ἀκολουθοῦντες Καλλιμάχῳ εἰπόντι, τὸν ἐπὶ ῥαβδῷ μῦθον ὑφαινόμενον. [11] Δαφνίνη δὲ ἦν ἡ ῥάβδος, ἣν κατέχοντες, ἐποιοῦντο τὰς τοιαύτας ᾠδάς. Καὶ [12] τὴν αἰτίαν οἱ τῶν Γραμματικῶν ἐξηγηταὶ λέγουσι. Καὶ οὕτω μὲν τὰ Ὁμηρικὰ εἰκοσιτέσσαρα γράμματα, καὶ [13] ῥαψῳδίαι ἐλέγοντο μερικαί τινες οὖσαι περιπέτειαι, ὥς φασιν οἱ παλαιοὶ, καὶ μικραὶ ὑποθέσεις. Αἱ δὲ αὐταὶ ῥαψῳδίαι, καὶ ποιήματα ἐκαλοῦντο, ὡς μέρη. [14] Ποίησις μὲν γὰρ, ἡ ὅλη βίβλος· ποίημα δὲ, τόδε τὸ γράμμα, ἤγουν ἥδε ἡ ῥαψῳδία, τὸ ἄλφα, τὸ βῆτα, καὶ τὰ λοιπά. Οἱ δὲ πλείους τῶν παλαιῶν, τήν τε ὅλην Ὁμηρικὴν ποίησιν, ῥαψῳδίαν λέγουσι, καὶ [15] ῥαψῳδοὺς τοὺς αὐτὴν ᾄδοντας. [16] Ἔτι δὲ καὶ ῥαβδῳδοὺς, διὰ τὴν ἄνω ῥηθεῖσαν δαφνίνην ῥάβδον· [17] διὰ δὲ τὴν αὐτὴν, καὶ στιχῳδούς. στίχοι γάρ,

φασιν, ὑπό τινων αἱ ῥάβδοι ἐλέγοντο. [18] Ἀλλὰ καὶ ἀρνῳδοὺς, ἐπειδὴ οἱ ἀγωνιζόμενοι ἐν ᾠδῇ Ὁμηρικῇ, καὶ νικῶντες, ἄρνα ἐλάμβανον ἔπαθλον. Πινδάρῳ δὲ ἀρέσκει, οὐκ ἀπὸ ῥάβδου, ἀλλ' ἐκ τοῦ ῥάπτειν, τοὺς ῥαψῳδοὺς λέγεσθαι. Περιφράζων γὰρ τοὺς ῥαψῳδοὺς, [19] ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοὺς, αὐτοὺς λέγει. [20] Ῥάπτειν δὲ, ἢ ἁπλῶς, ὡς εἴρηται, τὸ συντιθέναι, [21] ἢ τὸ, κατὰ εἱρμόν τινα, ῥαφῇ ὁμοίως, εἰς ἓν ἀγαγεῖν τὰ διεστῶτα. Σποράδην γάρ, φασι, κειμένης, καὶ κατὰ μέρος διῃρημένης τῆς Ὁμηρικῆς ποιήσεως, οἱ ᾄδοντες αὐτὴν, συνέρραπτον. οἷον, τὰ εἰς ἓν ὕφος ᾀδόμενα. [22] ἢ καὶ ἄλλως, διότι, κατὰ μέρος, φασί, τῆς ποιήσεως διαδεδομένης, τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντες οἱ ᾄδοντες, καὶ τὰ ἐξ ἑκατέρας Ὁμηρικῆς βίβλου συρράπτοντες, ὡς ἐβούλοντο, ῥαψῳδοὶ ἐντεῦθεν προσηγορεύθησαν. Τῆς δὲ τοιαύτης ῥάψεως, παράδειγμα σαφὲς καὶ [23] οἱ κέντρωνες, τουτέστι τὰ λεγόμενα Ὁμηρόκεντρα.

ut ajunt, virgæ ipsæ sunt a quibusdam vocatæ. Immo & Arnodos: quoniam qui Homericorum versuum ᾠδῇ, *cantu*, certabant, ac vincebant, ii præmium referebant ἄρνα, *agnum*. Pindaro tamen placet, non ἀπὸ ῥάβδου, *a virga*; sed ἐκ τοῦ ῥάπτειν, *a suendo*, dictos Rhapsodos. Ubi enim loquitur de Rhapsodis, eos vocat per periphrasin, ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδούς, *consutorum carminum cantores*. Ῥάπτειν autem, idest, *suere*, *consuere*, *farcinare*, vel est generatim componere, & concinnare, ut notatum est, vel nexu quodam, perinde atque futurà, res inter se dissitas conjungere. Quum enim sparsum esset, ut narrant, ac membratim discerptum, Homericum carmen, qui ipsum decantabant, consuebant, juxta illud, τὰ εἰς ἓν ὕφος ᾀδόμενα. *res uno textu cantatas*. Vel, si alia placet explicatio, propterea quòd, distributo in partes carmine, ii, quorum munus erat canere, carmen universum percurrerent, & ex utroque libro Homeri, loca, ut volebant, consuerent, Rhapsodi sunt inde appellati. Hujus generis suturæ exemplum luculentum, centones, hoc est, Homerocentra, sive Homerici, qui dicuntur, cē-

Κέν-

tones. Nam & centones propriè vocantur panniculi diversorum colorum, simul consuti, quibus quodammodo similes centones Homerici: & Rhapsodia cantio est ex utroque Homeri carmine consuta, accommodatè ad rem propositam, exempli caussa, ad nuptias, vel festos dies. Porro dispersi Homerici carminis memoriter recitandi initium fecit Cynæthus Chius. De hoc Cynætho ferunt, eum permulta in Homero loca corrupisse, multosque a se confectos versiculos immiscuisse. Qua de caussà, ut ante monuimus, suscepta est Homericorum librorum emendatio. Neque solùm Grammatici, quos diximus, id præstiterunt; verùm etiam aliæ feruntur emendationes Homeri, ùt quæ dicitur a narthece, sive ferulà, & nescio quæ Massiliensis, ac Sinopica. Atque hæc quidem hactenus plus quàm satis.

II. Verùm, ut eorum, quæ diximus, summam paucis complectamur, triplex est libri hujus inscriptio: Iliadis Ἄλφα, Rhapsodia, Gram-

Κέντρωνές τε γὰρ κυρίως λέγονται, τὰ ἐκ διαφόρων χροιῶν συνερραμμένα εἰς ἕν, οἷς ὡμοίωνταί πως τὰ Ὁμηρόκεντρα· καὶ ῥαψῳδία δέ, ἡ ἐξ ἑκατέρων τῶν Ὁμηρικῶν ποιήσεων συῤῥαφεῖσα ᾠδή, ἀναλόγως τῷ ὑποκειμένῳ πράγματι, γάμῳ τυχὸν, ἢ ἑορτῇ. Τοῦ δὲ ἀπαγγέλλειν τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν, [24] ἀρχὴν ἐποιήσατο Κύναιθος ὁ Χῖος. [25] Ἐλυμήναντο δέ φασιν αὐτῇ πάμπολλα οἱ περὶ τὸν Κύναιθον, καὶ πολλὰ τῶν ἐπῶν αὐτοὶ ποιήσαντες, παρενέβαλον. Διὸ καὶ διωρθώθησαν αἱ Ὁμηρικαὶ βίβλοι, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται. Τοῦτο δὲ οὐ μόνον οἱ ῥηθέντες Γραμματικοὶ ἐποίησαν, ἀλλὰ καὶ [26] ἕτεραι Ὁμηρικαὶ διορθώσεις μνημονεύονται, οἷον καὶ [27] ἡ ἱστορουμένη ἀπὸ νάρθηκος, [28] καὶ Μασσαλιωτικὴ δέ τις, καὶ Σινωπική. Καὶ ταῦτα μὲν ἱκανῶς ἕως ὧδε.

II. Τὸ δὲ πᾶν τοῦ παρόντος λόγου, εἰπεῖν ἐν βραχεῖ, ἐπιγραφὴ τοῦ παρόντος γράμματος, τριπλῆ. Ἰλιάδος Ἄλφα, καὶ Ῥαψῳδία, καὶ Γράμ-

Γράμμα. καὶ δηλοῦται ἐν τούτοις ἴσως περὶ, κατὰ πολυωνυμίαν, ἓν νόημα. Φέρονται δὲ καὶ [29] ἕτεραι ἑκάστου Γράμματος Ἐπιγραφαὶ, ἀνὰ δύο· μία μὲν, ἐν πεζαῖς λέξεσιν· ἑτέρα δὲ, ἐν στίχῳ ἡρωικῷ. Καὶ αἱ μὲν ἄλλαι, ῥηθήσονται κατὰ καιρόν. Τῆς δὲ παρούσης ῥαψῳδίας, ἡ μὲν πεζὴ ἐπιγραφὴ, αὕτη. Λοιμὸς καὶ Μῆνις. ἡ δὲ ἔμμετρος, ἥδε.

Ἄλφα, λιτὰς Χρύσου, λοιμὸν στρατοῦ, ἔχθος ἀνάκτων.

Λείπεται δὲ πάντως αὕτη ῥήματος· ἵνα λέγῃ, ὅτι ἡ ἄλφα ῥαψῳδία περιέχει, ἢ ἱστορεῖ τὰ καὶ τά.

ma. quarum trium vocum, pro nominum synonimorum ratione, una est significatio. Quin & aliæ uniuscujusque Grammatis, seu Libri Inscriptiones feruntur, binæ nempe singulorum librorum, altera pedestri oratione, altera versu Heroico. Et aliæ quidem, suis quæque locis, explicabuntur. At hujusce libri pedestris Inscriptio hæc est: *Pestis atque Ira*. Inscriptio vero metrica ista:

Ἄλφα, *preces Chryfæ, contagia, jurgia regum.*

Quæ Inscriptio verbo prorsus deficit: adeo ut hic sit sensus: *Liber* Ἄλφα *has, & illas res continet, vel commemorat.*

N O T Æ.

1. Ὅτι) Frequens particula Grammaticis, iis præsertim, qui loca quædam ex auctoribus excerpunt. Sic enim significare volunt, quid dicat, aut commemoret Auctor, ex quo excerpta est sententia, aut narratio. Unde tacitè intelligendum, λέγεται, sive ἱστέον, aut quid simile. *Polit.*

2. κατ' ἐπιταγὴν, ὥς φασι, Πεισιστράτου) jussu quidem Pisistrati, Atheniensium tyranni, qui, ut refert Ælianus Variæ Historiæ lib. 13. c. 14. Iliadem & Odysseam συναγαγὼν ἀπέφηνεν, *in unum collectas edidit*; sed, auctore tamen, & suasore, ut puto, Pisistrati ipsius filio Hipparcho. Hic enim in Hipparcho suo celebratur a Platone, veluti qui Homeri carmina primus Athenas in-

intulerit, atque effecerit, ut ea Rhapsodi, festis Panathenæis, alternis recitarent. Quod ex Platone commemorat etiam Ælianus l. 8. c. 2. *Polit.*

Πεισιστράτῳ) Vide Ælianum variâ historiâ. *Salvin.*

3. ὁ Ἀρίσταρχος) Aristarchi in emendando Homero judicium maximo semper in pretio habitum ab antiquitate. Bene tamen Ovidius ep. Pont. lib. 3 el. 9. ad Brutum:

Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Polit.

4. μετ' ἐκεῖνον Ζηνόδοτος) Non ille Ephesius, Epicus Poeta, & Grammaticus, Philetæ auditor, qui floruit sub Ptolemæo I. & primus dicitur a Suidâ correxisse Homerum; sed alter Aristarcho posterior, Alexandrinus, qui, teste Suidâ, scripsit πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ Ποιητοῦ. Claruit autem Aristarchus ille Samius, Grammaticorum celeberrimus, sub Ptolemæo VI. cui cognomen Philometori. Utrumque hunc Grammaticum simul etiam laudat Ausonius in Ludo septem Sapientum:

Mæonio qualem cultum quæsivit Homero,
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti.

Polit.

Ζηνόδοτος) In libello de claris Grammaticis:

En cor Zenodoti, jecur Cratetis.

Salvin.

5. Κοΐντος) Quintus, vulgò Calaber: sed verè Smirnæus, qui scripsit τὰ μεθ' Ὅμηρον, seu Παραλειπόμενα, idest, *Res ab Homero prætermissas*. Polit.

6. Αὐτὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ μιμηλῶς ἐν θεάτροις δρᾶσθαι) Etymologus ex Grammatico Aristophane: λέγεται δὲ δράματα καὶ τὰ ὑπὸ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γινόμενα, ὡς ἐν ὑποκρίσει. Et sic etiam apud Suidam. *Polit.*

7. ῥαψῳδίαι καλοῦνται διὰ τὸ κατὰ συνθήκην τεχνικὴν ῥάπτεσθαι οἷον τὴν ᾠδήν) Auctor Philochorus. qui dictos voluit Rhapsodos ἀπὸ τοῦ συντιθέναι, καὶ ῥάπτειν τὴν ᾠδήν. *Polit.*

8. ῥαψαντες ἀοιδήν) Cantiunculæ, sive Rhapsodiæ illius hoc initium:

Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὅν τε Κελήτω.

Primum autem Hesiodum ῥαψῳδῆσαι tradit Nicocles. Quorum omnium fides esto penes auctores. *Polit.*

9.

9. παρὰ τὴν ῥάβδον, ἡ ῥαψῳδία) ad quod etymon respicere videtur Suidas, cum de Rhapsodis ait, eos sic vocatos, ἐπεὶ ῥάβδους ἔχοντες ἀπήγγελλον. Ubi, quum antea pro ῥάβδους, perperam legeretur ῥαβδούχους, suspicabar scribendum, ῥάβδους χειρὶ ἔχοντες. *Polit.*

10. φασὶ καὶ τοῦτο οἱ παλαιοὶ ἀκολουθοῦντες Καλλιμάχῳ) Grammatici quidam apud Pindari Scholiasten. *Polit.*

11. Δαφνίνη δὲ ἦν ἡ ῥάβδος) Vocabatur αἴσακος, ramus nempe lauri. Sic Hesiodum ad laurinam virgam cantasse colligit ex ejus versibus Pausanias in Bœoticis c. 30. Versus Hesiodi hi sunt in Theogonià.

Καί μοι σκῆπτρον ἔδωκ δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
Δρέψασαι θηητόν, ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
Θείην. ———————

Polit.

12. τὴν αἰτίαν οἱ τῶν Γραμματικῶν ἐξηγηταὶ λέγουσι) quæ eadem ipsa est caussa, cur Hesiodus donatum se scribit a Musis ramo laurino, nempe, ut exponit vetus Hesiodi Scholiastes, aut quia πολύδαφνις Helicon, aut quatenus laurus magnam vim habere credita est, & efficaciam πρὸς τοὺς ἐνθουσιασμούς, aut denique, quia, quemadmodum laurus est ἀειθαλής, sic ἀειθάλλουσι καὶ οἱ λόγοι. *Polit.*

Horat. *magnaque pars mei Vitabit Libitinam*. Et: *usque ego viridà Crescam laude recens*. Lucr. *semper florentis Homeri*. ἀειθαλοῦς. *Salvin.*

13. ῥαψῳδίαι ἐλέγοντο μερικαί τινες οὖσαι περιπέτειαι) Unde Hesychio ῥαψῳδία etiam μέρος ποιήματος. *Polit.*

14. Ποίησις μὲν γὰρ, ἡ ὅλη βίβλος· ποίημα δὲ, τόδε τὸ γράμμα) Similis quoque differentia inter Poema, & Poesin, agnita a Nonio Marcello cap. 5. *Polit.*

15. ῥαψῳδοὺς τοὺς αὐτὴν ᾄδοντας) eosdemque etiam Ὁμηριστάς, teste Athenæo lib. 14. c. 3. *Polit.*

16. Ἔτι δὲ καὶ ῥαβδῳδούς) At non ῥαβδούχους, ut putant nonnulli, & videbar mihi aliquando deprehendisse ex corrupto loco Suidæ. Non enim canebant, qui apud Græcos dicebantur ῥαβδοῦχοι, sed eorum munus erat, curare, nequid rixarum in theatris excitaretur, sive ut certamina bene procederent. Hinc ipsi judices, & arbitri certaminum, ῥαβδοῦχοι.

17. διὰ δὲ τὴν αὐτὴν καὶ στιχῳδούς) Quod proditum a Menæchmo. *Polit.*

18. Ἀλλὰ καὶ ἀρνῳδὺς) Ex Dionysio Argeo apud Scholiasten Pindari. *Polit.*

ἀρνῳδὺς) Sic τραγῳδοὶ, ab hirci præmio. Hor. in Arte. *Salvin.*

19. ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδὺς αὐτὺς λέγει) Sic quidem Homeridas vocat Pindarus Nem. Od. 2. Homeridas autem intelligit, ut volunt, Rhapsodos. Etsi enim jam inde a principio posteri tantum, & nepotes Homeri dicebantur Homeridæ; postea tamen appellatio hæc transiit ad omnes Rhapsodos, qui Homeri carmina publicis conventibus recitabant, ὑκέτι τὸ γένος εἰς Ὁμηρον ἀνάγοντες. Unde Ὁμηρίδηαι (sic enim lego apud Hesychium pro Ὁμηρῦδαι) αἱ ῥαψῳδίαι. *Polit.*

20. ῥάπτειν δὲ, ἢ ἁπλῶς, ὡς ἔφη, τὸ συντιθέναι) ut placet Hesychio & Suidæ. *Polit.*

21. ἢ τὸ, κατά εἱρμόν τινα, ῥαφῇ ὁμοίως, εἰς ἓν ἄγειν τὰ διεστῶτα) Ex antiquis scholiis in Pindarum. *Polit.*

22. ἢ καὶ ἄλλως) Et hæc alia explicatio veterum Grammaticorum in Pindarum. *Polit.*

23. οἱ κέντρωνες, τυτέστι τὰ λεγόμενα Ὁμηρόκεντρα) Sic etiam Ὁμηρόκεντρα Suidæ. *Homerocentones* S. Hieronymo ep. 103. ad Paullinum, ut & *Virgiliocentones*. Extant etiam nunc Homerocentones, quos nonnulli Eudoxiæ Augustæ attribuunt: & Virgiliocentones, a Probà Falconià consuti, itemque ab Ausonio. *Polit.*

24. ἀρχὴν ἐποιήσατο Κύναιθος ὁ Χῖος) Cynæthus, patrià Chius, primus Syracusis Homeri carmina ἐρράψῳδησεν, Olympiade LXIX. Auctor hic perhibetur Hymni in Apollinem, qui Hymnus Homero est adscriptus. *Polit.*

25. ἐλυμήναντο δέ φασιν) Ex antiquo Scholiaste Pindari. *Polit.*

26. ἕτεραι Ὁμηρικαὶ διορθώσεις) ut διόρθωσις illa Cratetis Mallotæ, qui ob studium rei Grammaticæ, & Poeticæ, appellatus est Homericus, & Criticus, tempore Ptolemæi Philometoris. Auctor Suidas. *Polit.*

27. ἡ ἱσορυμένη ἀπὸ νάρθηκος) Antiquissima hæc, & celeberrima emendatio Homeri, quæ dicta est ἐκ τῦ Νάρθηκος, auctore Alexandro Magno. Eum scribit Strabo lib. 13. p. 594 in emendando Homero operà usum Callisthenis, & Anaxarchi, atque ita correctum Homericum codicem reposuisse in narthecio, quod sumptuoso admodum opere elaboratum in gazà Persicà re-

repererat. Plinius Nat. Hist. lib. 7. c. 29. *Alexander Magnus [etenim insignibus judiciis optimè citraque invidiam tam superba censura peragetur] inter spolia Darii Persarum regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque, ac margaritis pretiosum; varios ejus usus amicis demonstrantibus, quando tædebat unguenti bellatorem, & militiâ sordidum: immo hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur: ut pretiosissimum humani animi opus quàm maximè divite opere servaretur*. Verumtamen non universum Homeri opus, sed Iliadem eo scrinio, seu narthecio, asservatam fuisse, eamque correctam ab Aristotele, tradit Plutarchus in Alexandro. *Polit.*

28. ἡ Μασσαλιωτικὴ δ᾽ ἐστί) Nec mirum, ipsos quoque Massilienses egregiam navasse operam Homero. Compertum est enim, eos tum ceteris liberalibus studiis, tum Græcis olim litteris, claruisse, ut testatur Geographus lib. 4. Sed & Gallos, *in reliquis ferè rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis litteris usos*, scribit Cæsar lib. 6. *Polit.*

29. ἕτεραι ἑκάστου γράμματος ἐπιγραφαί) Sicut enim Homeri olim carmina in certas partes distributa erant, quæ a Rhapsodis canebantur; ita & eas partes variis distinctisque nominibus vocabant. Exempli caussa, Τὴν ἐπὶ ναυσὶ μάχην, Δολωνίαν, Ἀριστείαν Διομήδους, Νεῶν κατάλογον, Πατρόκλειαν, Λύτρα, Ἐπὶ Πατρόκλῳ ἆθλα, ὁρκίων ἀφάνισιν. Vide Ælianum lib. 13. c. 14. apud quem tamen pro Ἀριστείαν Διομήδους, legas Ἀριστείαν Ἀγαμέμνονος. *Polit.*

Λύτρα, hoc est, pretium redemptionis. Antiquus poeta Latinus fabulam quandam suam inscripsit: *Hectoris Lutra*. Hinc nomen Priami, quasi emptoris, qui cadaver Hectoris filii sui ab Achille redemit. *Salvin.*







